WBP
Opole

WiMBP
Opole
1058 st.

K-408//71

SEPULTURA VETERUM,

Sive Tractatus
DE

ANTIQVIS RITIBUS SEPULCHRALIBUS Græcorum, Romanorum, Judæorum & Christianorum,

Antehac in Academiâ Wittebergensi aliqvot publicis Disputationibus propositus,

N. 128

Nunc vero

Passim emendatus & auctus

Studio & Operâ

JOH. ANDREÆ QVENSTEDT,
Theolog. Wittenbergensis.

WITTEBERGÆ,
Sumptibus Joh. Ludolph. Qvenstedt.
Anno M DC XCIII.

DE SEPULTURA VETERUM,

sive

TRACTATUS

DE ANTIQVIS RITIBUS SEPULCHRALIBUS GRÆCORUM, ROMANORUM, JUDÆORUM, ET CHRISTIANORUM.

CAPUT I.

Sepultura quando cœperit, unde orta, & quis ejus finis.

DEfunctorum corpora terræ inferri ac humari, institutum est antiqvissimum, usitatum semper in populo DEI, servatum ab Atheniensibus, Græcisqve cæteris, & Romanis planè olim, ac in Ecclesiâ Christianâ perpetuo usu receptum. In Sacro-sanctâ Vetusti Fœderis historiâ memoratur Abraham, fidelis seminis serus pater, sepeliisse *Sarah*, uxorem suam, in spelunca agri juxta urbem Hebron, ab Hephrone Chetæo emptâ in sepulchri possessionem *Gen. XXIII, 19.* (qvæ prima emptio est, cujus in Sacro eloqvio fit mentio: nam antea permutationes tantùm factas legimus. Eo videl. loco, qvo post 400. peregrinationis annos certus erat, semen suum victurum. Ibidem deinceps depositi post fata sunt *Abraham*, *Gen. XXV, 9. Isaac*, ut ex *Gen. XXXV, 29.* colligi haud obscurè potest, *Rebecca & Lea* Gen. XLIV, 31. ipseqve

Jacob, Gen. L, 13. qvemadmodum adhuc vivens procuraverat, Gen. XLVII, 30. & XLIX, 29. ibidem & *Adamum*, principem humani generis conditum esse, asserit Hieronymus. Existimant enim Hebronem per anticipationem ארבע *Arba*, qvatuor, seu Civitatem τῶν τεσσάρων dictam esse, Gen. XXIII, 2. à qvatuor Patriarchis, Adamo, Abrahamo, Isaac & Jacobo ibidem sepultis. Verba ejus in libro de locis Hebraicis in Arbah hæc sunt: *Corruptè in nostris Codd. Arbah scribitur, cum in Hebræo legatur Arbee, i.e. qvatuor, eò qvòd ibi qvatuor Patriarchæ, Abraham, Isaac & Jacob sepulti sunt, & Adam magnus, ut in Jesu Libro scriptum est, licet eum qvidam conditum in loco Calvariæ suspicentur.* Nicolaus Lyranus eandem fovet sententiam, scil. vocatam esse illam civitatem *Arba*, propter qvatuor jam dictos Patriarchas ibi sepultos cum conjugibus suis, Eva, Sara, Rebecca & Lea. Eadem habet, statuitqve Alphonsus Tostatus, Episcop. Abulensis in c. XXIII. Gen. Sententiam hanc confirmant ex Josuæ XIV. ult. ubi Vulgata habet; *Adam, maximus ibi* (Hebrone, seu in civitate Arba) *inter Enacim situs est.* Unde qvæstione X. ad h. l. ait Abulensis; *Adam maximus, i.e. primus homo, qvi est maximus, cùm sit pater & origo totius speciei, est situs inter Enacim, i.e. sepultus fuit in urbe Hebron, in terrâ gigantum. Et iste est verior atq; communior sensus, qvem ferè omnes Catholici tenent.* Alii verò humani generis parentem circa Calvariæ montem, in qvo Salus nostra crucem passa est, non sine ingenti mysterio reconditum esse arbitrantur, ut Augustinus serm. 71. de tempore. Spectant hùc etiam verba illius in qvæstion. super Gen. cap. 161. ubi inqvit; *Ubi sepelienda erant cadavera Patriarcharum, significantia peccatum, nisi in eâ terrâ, ubi ille postea crucifixus est, cujus sangvine facta est remissio peccatorum.* Cyprianus serm. de resurrect. Christi, Athanasius de Passione Salvatoris, Ambrosius lib. 5. Epist. 19. Origenes tractat. 35. in Matthæum. Theophylactus in Joh. c. 19. Chrysostomus homil. 84. in Johannem, Epiphanius hæres. 46. Basilius in Esaiæ cap. 5. & ipse Hieronymus in Paulæ ad Marcellam Epist. qvi tamen in Matth. c. 27. *Favorabilis*, inqvit, *opinio*, (scil. de Calvaria Adami in Golgatha sepulti) *& mulcens aurem populi, nec tamen vera.* Nonnulli in duobus locis Adamum sepultum esse asserunt, uti in *Chronicis* scribit *Honorius Augustodunensis.* Et primò

mò qvidem Cariath Arbæ, deinde verò in monte Calvariæ. Memoriæ enim prodidit Jacobus Edessenus, Sancti Ephrem præceptor (referente Masio, Com. in ult. Cap. Josuæ) *Noemum primi Patris ossa religiosè in arcam intulisse: & post siccatum & aqvarum eluvione ternarum orbem, cum ipso ternarum orbe ossa qvoq; illa filiis divisisse, & qvem præ cæteris diligebat, Semo Calvariam dedisse, cumq; Calvaria, terrarum partem, qvam postea Judæam nuncuparunt.* Explicant & exornant hanc opinionem Delrius in B. Virginis Panegyrico 7. & *Villalpandus in Hierosolymæ urbis apparatu* lib. 1. c. 9. Verùm sententia illa, Adamum Cariatharbæ sepultum fuisse, licet propter qvorundam Veterum autoritatem temerè rejicienda non sit, ex adducto tamen loco Josuæ probari nullo modo potest. Nam nec in Hebræo, nec in Chaldæo, nec apud LXX. interpr. verba illa (ibi situs est) habentur. Et per Adam non necessariò intelligitur hominum primus, sed homo, & qvidem ille, de qvo sermo fuerat, nempe Arba. Hebraica, verbum verbo si reddas, sic sonant: *Et nomen Chebronis antea fuit Cariath Arbah* (i. e. Civitas Arbæ) *hic homo magnus in Enacim ipse*, h. e. Erat homo qvidam eximius & præcellens inter cæteros gigantes. Arbe, à qvo nomen accepit civitas. Parentis primi nulla hîc fit mentio, nec inter Enacim is fuit, sed ante ipsos omnes. Nulla præterea idonea ratio fingi potest, cur de Adami sepultura hîc agatur, ut rectè contra Abulensem disputat Nicol. Serarius, Com. in h. l. Confer in eundem locum Estium, Tirinum, itemq; Pererium in Gen. cap. 23. disp. 1. num. 22. Tripliciter ergò hîc peccavit Vulgatus Latinus, judice Sixtino Amama, in Antibarbaro Biblico pag. 605. (1) *Addendo vocem* situs est, *cujus reverà ne umbella qvidem in textu apparet.* (2) *Omittendo demonstrativum* הוא (3) *Nomen appellativum* אדם *convertendo in nomen proprium* τῷ πρωτοπλάστῳ. Duodecim Patriarcharum, Filiorum Jacob, monumenta *Sichemis* sive *Sichar* (urbe primaria provinciæ Samariæ, dicta dein *Mabarta* Josepho, *Mabortha* Plinio, & *Flavia Cæsarea* à Flav. Domitiano, Cæsare, & postea *Neapolis*,) fuisse testatur ante citatus Sanctissimus Ecclesiæ Doctor Hieronymus. Dicit enim in Epitaphio Paulæ, *Eam è Sichem divertentem vidisse duodecim Patriarcharum sepulchra.* Vide Actor. VII, 16. Tradit qvidem Josephus, nobilis Judæorum historicus, lib. II. Antiqvit.

tiqvit. c. 4. Filios Jacob, excepto uno Joſepho, ſepultos eſſe Hebrone, *ſed dubitandum non eſt* (verba ſunt Caſpar. Sanctii Jeſuit. Com. in Act. VII v. 16.) *nactos fuiſſe ſepulturæ locum in Sichem: tum qvia ita planè colligitur ex hac Stephani oratione, tum qvia non eſt veriſimile, cum ex Ægypto translata fuerint à Moyſe oſſa Joſeph, Exod. 13. & cum illis aliorum etiam Patriarcharum oſſa, ut ex hoc loco liqvet, & Joſephus conditus ſit in Sichem, ut habes Joſue cap. ultimo, oſſa aliorum Patriarcharum, quæ longâ peregrinatione, & qvaſi funebri pompâ ſimul efferebantur, confecto jam tanti laboris curriculo, loco eſſe diſtracta, &c.* Davidis, Regum Vatumqve ſacrorum maximi ſepulchrum perſeveravit non ſolùm ad ætatem Apoſtoli Petri integrum & incorruptum, Actor. II, 29. ſed etiam ad tempus Adriani Imperatoris; nam tunc Monumentum Regium magnâ ex parte corruiſſe, author eſt Dion, in Adriani vita. Porrò Athenienſes, â qvibus plerasqve non ſolùm leges, ſed etiam ritus & ceremonias acceperunt Romani, jam inde à Cecropis, primi ipſorum regis, tempore corpora defunctorum terrâ condidiſſe, autor eſt Cicero lib. II. de LL. ipſumqve Cecropem *Athenis in Minervio terræ mandatum*, ex Antiocho refert *Arnobius* (qvem Lipſius Epiſt. Centur. I. Epiſtol. 42. *poſt Tertullianum inter ſacros Scriptores doctiſſimum* vocat) lib. VI. adverſ. gentes. Gentium victorem, Romanum populum *olim ab ortu Urbis defuncta corpora humo condere neq; cremare conſveviſſe, illud argumento eſſe*, ait Alexander ab Alexandro Genialium Dierum lib. III. cap. 2. *Qvod Numæ Pompilii corpus in arcâ lapideâ poſt multa ſecula â Cneo Terentio in janiculo inventum vetuſtiſſimi autores tradant.* Plinius lib. VII. cap. 54. *ipſum cremari*, inqvit, *apud antiqvos non fuit veteris inſtituti, terrâ condebantur. At poſtqvam longinqvis bellis obrutos erui cognovêre* (nota cauſam combuſtionis) *tunc inſtitutum. Et tamen multæ familiæ priſcos ſervavêre ritus: Sicut in Corneliâ nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus: Idq; voluiſſe, veritum talionem eruto C. Marii cadavere.* Sylla, qvi mortuorum oſſa ê ſepulchris eruta in fluvium mergi juſſerat, moriens ſe cremari Teſtamento cavit, ne idem ab hoſte ludibrium ejus cadaver pateretur, ex qvo apud Romanos inolevit mos cremandi cadavera mortuorum, inqvit Camerarius, in Horis ſubſec. p. 1. c. 3. Xenophon, Muſam qvem vocant Atticam, ob ſermonis ſvavitatem lib. VIII. παιδείας introducit Cyrum morti vicinum ita ad ſuos perorantem: *Mei pueri, cùm deceſſero, nolite neq; in auro, neq; in argento, neq; in alio aliqvo lapide collocare corpus meum, ſed illud terræ reddite qvamprimùm, qvid enim hac re beatius, qvàm terræ miſceri, qvæ pulcra omnia bona gignit & nutrit.* In qvem locum digitum intendens Romani eloqvii princeps *Tullius lib.* II. de LL. *Ac mihi qvidem*, inqvit, *antiquiſſimum ſepulturæ genus id fuiſſe videtur, qvo apud Xenophontem Cyrus utitur. Reddit enim terræ corpus, & ita locatum ac ſitum, qvaſi operimento matris obducitur. Eodemq; ritu in eo ſepulchro, non procul à fontis arâ regem noſtrum Numam conditum eſſe accepimus: gentemq; Corneliam usq; ad memoriam noſtrm hac ſepulturâ ſcimus uſam.* Sepulchro Cyri, qvi à Medis ad Perſas Imperium transtulit, hoc inſcriptum fuiſſe ferunt Epitaphium:

Vir qvicunq; es & undecunq; advenis,
(Neq; enim te adventurum ignoravi.) Ego ſum
Cyrus, qvi Perſis imperium conſtitui:
puſillum
Hoc terræ, qvo meum tegitur corpus, mihi ne invideas.

Chriſtiani ab ipſis uſqve Eccleſiæ natalibus morem terrâ humandi cadavera ſervarunt conſtantiſſimè, qvod cum nemini, qvi Eccleſiaſticam hiſtoriam primoribus tantùm labris guſtavit, ignotum eſſe poſſit, probatione nulla indiget. *Veterem & meliorem conſuetudinem humandi freqventamus*, inqvit Minutius Felix in Octavio, qvi Dialogus perperàm ſeptem libris Arnobii contra Gentes veluti octavus adjungi ſolebat, monente Bellarmino de Scriptor. Eccleſ. ad an. 206. in Min. Fel. Tanti autem majores noſtri fecere ſepulturam, ut ejus cauſa, ſicut ad pauperes alendos, aut ad captivos redimendos vaſa Eccleſiæ etiam initiata conflari, aut vendi licitè exiſtimaverint, referente S. Ambroſio de Officiis, libro II. cap. 28. Qvæ verò occaſio & finis moris hujus introducendi fuerit, ut demortuorum corpora humo tegerentur, operæ pretium erit inqvirere. Moſchion, ut refert Hugo Grotius de jure Belli ac Pacis Lib. II. cap XIX. num. 2. exiſtimat occaſionem datam ex gigantea feritate mandendi homines, cujus abolitæ ſignum ſepultura. Rectiùs dicitur, ipſam naturæ humanæ conditionem admonuiſſe homines, ut corpus exanime terræ, unde ortum traxit, redderent. Et ſic ſponte ſolverent debitum, qvod alioqvi vel ab invitis repetit natura. Ita enim edixerat

edixerat Deus Adamo *Gen.* III, 19. *Terra es & in terram reverteris.* Ex qvo desumptum illud *Eccles.* XII, 9. *Redibit pulvis in terram, qvemadmodum fuerat.* Hinc pia antiqvitas; *Terra es, terram geris, terram teris, in terram converteris.* Rabbini hac de re ita pro more loqvuntur, ut inqvit Besoldus, Consideratione Politica de vita & morte lib. III. c. 1. *Corpus linqvitur in potestate Dæmonis, de qvo dictum est in Scriptura*; Terram comedas omnibus diebus, *& alibi:* Pulvis terræ panis ejus. Iobus, veræ patientiæ vivum exemplar, cap. I. v. 12. *Nudus egressus sum*, inqvit, *ex utero matris meæ* (qvi תַּחְתִּיּוֹת אֶרֶץ *infimæ partes terræ, ima terra*, vocatur à Davide Psalm. CXXXIX, 15.) *Et nudus revertar illuc*, non in uterum maternum, sed in terram, qvæ omnium nostrûm mater est, Eccles. XL, 1. Hæc enim sinu suo corpus nostrum excipit & ossa nostra complexu suo custodit, redditura depositum, qvod servandum acceperat, in magno illo Die Domini & Resurrectionis omnium. Unde *Gregorius Nazianzenus*, qvi post Johannem Evangelistam primus Theologi nomine salutatus est, δισταφέας, *bis sepultos* homines appellat, quòd primum in alvo matris tecti, & qvasi sepulti jacant, anteqvam in hanc vitam nascantur: deinde in alvo terræ lateant, donec ad vitam æternam resuscitentur, teste *B. Gerhardo*, Avunculo meo desideratissimo, *Loc. Theol. VIII. de Morte, num. 80. Terram Optimum habemus operimentum*, inqvit Chrysostomus homil. 84. in Johann. *& ipsi corporum naturæ decentius.* Sepulchrum unica hominis possessio est. Sciat enim homo, se nullam terram habere propriam, in qvâ vivus commoretur, habere tamen propriam illam, in qvam mortuus resolvatur, juxta illud Davidis Psalm. CXLVI, 3. *Exibit Spiritus ejus & revertetur corpus in terram suam.* Emphaticè dicit suam! Optimè etiam hac de re philosophati sunt sapientiores Ethnici: sic enim *Euripides*, cujus singulos versus singula testimonia putat *Cicero lib. XVI. Epist. Famil. Ep. 8.* ex Persona Thesei in Supplicibus:

Jam finite terræ mortuos gremio tegi;
Res unde quæq; sumserat primordium,
Eò recipitur: spiritus cœlo redit
Corpusq; terræ: jure nec enim mancupi:
Sed brevis ad ævi tempus utendum datur:
Mox terra repetit ipsa, quod nutriverat,

Inde

Inde Cicero ex Euripidis Hypsipyle:

Reddenda terra terræ.

Similiter Lucretius de terra omnia suo sinu gremioqve receptante lib. V.

Omniparens eadem rerum est commune sepulchrum.

Vetus etiam & dignus suo autore versiculus est:

Cum fex, cùm limus, cum res vilissima simus,
Unde superbimus, ad terram terra redimus.

Ortus itaque nostri principium, vitæq; finis, limus & cinis, perpetuum humilitatis, propriæ Christianorum virtutis, memoriale esse debet. Ex eo enim patescit vanitas & inanitas nostra. Et quàm nihil naturâ simus, apparet in ortu & interitu. Heraclitus Philosophus Ephesius σκοτεινὸς cognominatus, ob styli affectatam obscuritatem, omnia ex igne constare opinatus est, unde voluit idem, ut subitò post mortem corpora humana combustioni darentur, ut ita ad suum redirent principium, referente Servio, vetusto & optimo Grammatico, in lib. XI. Æneid. Verùm à Spiritu Dei rectiùs edocti, non de igne, sed de terra summum Opificem corpus nostrum formasse, ac proinde vel secundùm ipsam illam regulam Heracliti, (si aliundè id non constaret) in terram reverti debere, ex qva sumptum est, norunt. Democritum in spem reviviscendi corpora adservanda docuisse, tradit Plinius, libr. VII. cap. 55. his verbis ipsum irridens; *Similis & de asservandis corporibus hominum & reviviscendis promissa à Democrito vanitas, qui non revixit ipse.* Hoc ipso facto tamen suo ostenderunt Gentiles, non planè obliteratum esse in se, Immortalitatis, ad quam homo à Deo fuit conditus, sensum. Eleganter hac de re disserit Julius Cæsar Scaliger, ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτωρ καὶ ποιητῶν θεώτατος, Poetices libro III. cap. 20. Verba ejus hîc meritò legenda, subjicio: *Sunt cognata nobis semina quædam immortalitatis: cujus adeo appetentes sumus, ut & sepulturæ prospiciamus: & nolimus cadaver nostrum malè haberi.* Et post pauca; *Humanum verò ingenium, quod animæ nostræ vis est, quum se sciat immortale, optat illud quoq;, ut corpus ipsum & comes & domicilium suum, quoad fieri possit, eadem felicitate perfruatur. Ædificat idcircò Pyramidas, eiq; ita condito imponit, ut si non universa temporum spatia æquare possit, aliqua tamen quàm maximè longinqua superet.* Hæc ille. Christiani defunctorum corpora honestè terrâ recondunt, partim ideò, ut docemur in Scho-

in Scholis Theologorum, quia fuerunt membra Christi, *Eph. V, 30.* templa & habitacula Spiritus S. *I. Cor. III, 16. cap. VI, 19.* Salutaria item organa, per quæ piorum animæ bonum operatæ fuerunt in hac vita. *II. Cor. V, 10.* Unde Origenes, quem ob laborum & studiorum tolerantiam *Adamantium* vocarunt prisca secula, *libro VIII.* contra Celsum, *Rationalem*, inquit, *animam honore didicimus, & hujus organa sepulchro honorificè demandare.* Partim & præcipuè in spem futuræ resurrectionis. Hinc Calvinus, Comment. in Esaiam cap. XIV, 18. *Projiciuntur*, inqvit, *belluarum cadavera, quod ad putredinem nata sunt, nostra verò terrâ conduntur, ut illic depositæ ultimum diem expectent, quo resurrecturæ sunt, ut cum animâ beatam & immortalem vitam degant.* Et Andreas Rivetus, in Gen. cap. XXIII. Exercit. CIX. *Hic fuit semper laudabilis mos apud homines, qui sensum omnem humanitatis non exuerunt, ut humana cadavera amoverentur â conspectu vivorum, quod etiam pertinuit ad politiam & honestatem communem: id præterea ab iis, qui altiùs conscendebant, fuit consideratum, terræ esse mandanda corpora, quæ in terram erant redigenda, honorificè recondenda, quæ suo tempore ad vitam per resurrectionem erant revocanda.* B. Gerhardus loco citato, inter causas sepulturæ tertio loco ponit *Christi & Apostoli Pauli comparationem, quâ* (verba ejus, quia id merentur, adscribam) *granis in terram projectis corpora piè defunctorum ad confirmandam resurrectionis spem conferunt, Joh. XII, 24. I. Cor. XV, 37. & 38. inde in linguâ nostrâ vernaculâ cœmeteria pulcerrimè vocantur* agri Dominici, *in quibus scil. corpora piorum velut quædam grana in spem futuræ messis seminantur.* Quod in agro quærit sepulturam Patriarcha (inquit Pelargus, Comm. in Genes. ad cap. XXIII.) meminerimus sepultorum corpora instar seminis esse, quæ suo tempore in auras lætiùs exurgant. Rectè proinde Prudentius, poëta Christianissimus, spem resurrectionis causam esse, quare maxima cura sepulcris impendatur, tradit in Hymno funebri:

Quidnam sibi saxa cavata,
Quid pulchra volunt monumenta?
Res quod nisi creditur illis;
Non mortua, sed data somno.
Nam quod requiescere corpus,
Vacuum sine mente videmus:
Spatium breve restat, ut alti
Repetant collegia sensus, &c.

Nihil interim obesse existimandum est futuræ corporum Resurrectioni, neque quicquam inde mali homini

homini accidere, aut boni adimi, quocunque modo corpus demortuum tractetur, quacunque ratione destruatur aut dissipetur. Sive projiciatur volucribus & canibus in prædam, sive bestiis in Circo, ut intra sua viscera recondant, sive in usum nocturnarum tædarum uratur, quomodo sævierunt barbari & immanes Tyranni olim in Christianorum corpora, ut Martyrum & Persecutionum historias evolventi patebit. Nam, ut Tatianus, libro contra gentes, inquit, *Quamvis caro tota incendio absumatur, tamen materiam evaporatam mundus excipit, quanquam aut in fluviis, aut in mari contabescam, aut â feris dilanier, condor tamen in penu locupletis Domini.* Et in eandem sententiam egregiè & fiduciâ plenus jam ante laudatus Minutius Felix in Octavio; *Corpus omne*, inquit, *sive aresçit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur bonis, sed DEO Elementorum custodia reservatur.* Vide, si lubet, Augustinum de Civit. Dei lib. I. cap. 12. sive, qui in eundem librum commentatus est, Casp. Barthium Adversar. Commentar. Libr. LX. cap. XII. Cæterum & aliæ sepulturæ suppetunt fines & utilitates; Puta, ut corpus hominis, animalium nobilissimi, quoque *inter maxima rerum suarum nihil habet natura, quo magis glorietur*; (teste Seneca lib. VI. de beneficiis cap. XXII.) à vilissimorum animantium laniatu immune præstetur. Hancque humationis causam à corporis præcellentia desumtam cæteris simpliciorem esse statuit Hugo Grotius loco supra allegato; sic enim inquit; *Simplicius est, cùm homo cæteris animantibus præstet, indignum visum, si ejus corpore alia animantia pascerentur; quare inventam sepulturam, ut id, quantum posset, caveretur.* Huc respicit Cicero Christianus, seu mavis, Lactantio lib. VI. Institut. cap. 12. *Non patiemur figurum & figmentum Dei feris ac volucribus in prædam jacere, sed reddamus id terræ, unde ortum est.* S. Ambrosius, Mediolanensium Episcopus, quiq; solus hoc nomine dignus censebatur, judicio Theodosii, libro de Tobia, sub initium: *Nihil hoc officio præstantius ei conferre, qui jam tibi non potest reddere: vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem naturæ.* Et si vel maximè hæ abessent injuriæ, diffluere tamen, proteri, ac omnibus conspicua exponi humana membra, alienum videtur à naturæ nostræ dignitate. Unde Ἥαμα τῷ ἠλίῳ ἠδαμῆ Φίλον ἀποκρύπτον ἀνθρωπίνῳ Ἥσμῳ.

Spectaculum Soli nullo modo gratum, humana lege tegens & occultans, vocat *Svidas in voce ἀκηδής*. *Hinc est*, inquit Grotius loc.cit. *quod officium sepeliendi, non tàm homini, id est, personæ, quàm humanitati*, id est, *naturæ humanæ præstari dicitur.* Adinventus quoque videtur mos humana sepeliendi corpora, ut amoveantur à viventium oculis cadavera, ne videant damna sua, quæ mœstitiam animis inferunt, sed monumento condita clam & procul à conspectu suorum tabescant. Huc referenda esse censeo verba Abrahami, quibus Sarah, uxore sua, deliciis suis, defunctâ, Filios Chet alloquitur Gen. XXIII, 4. *Date mihi possessionem sepulchri, ut sepeliam mortuum meum* מֵתִי מִלְּפָנָי *â facie mea.* LXX. θάψω τὸν νεκρόν μου, ἀπ' ἐμοῦ (non uxorem, sed mortuum suum dicit,) ut sciamus, ad vitæ hujus tempus pertinere, uxorem esse, maritum, affinem, &c. post hujus verò seculi decursum distinctos illos gradûs conditionem sexus & officia denique cessatura, Matth. XXII, 30. *Leniatur ita luctus eorum*, inquit Demosthenes in Orat. funebri, *qui suis sint orbati.* Unde quidam non tàm defunctorum causâ (quippe quibus sentientibus onus, non sentientibus supervacaneum sit) sed vivorum gratiâ inventam esse sepelitionem statuunt. Et hoc est, quod dicit Augustinus, vir sanctitate atque doctrinâ ad miraculum maximus, totiusque Occidentis lumen clarissimum, libr. I. de Civ. Dei cap. 12. & lib. de Cura pro mortuis cap. 2. *Curationem funeris, conditionem sepulturæ, pompas exequiarum, magis esse vivorum solatia, quàm mortuorum subsidia.* Adde, per sepulturam arceri horrorem & fœtorem cadaverum, quem humanum corpus præ cæteris animalibus, post mortem exhalat teterrimum. Hinc Chytræus canit:

Corpus inane animæ tandem fœtore maligno
A se abigit cunctos.

Denique accedit hæc ex humatione utilitas, quòd in alieno funere, velut in quodam speculo conditionis & naturæ nostræ admonemur, unde etiam tumuli defunctorum monimenta dicuntur: Et *Sepultura humanæ conditionis memoria*, Modestino in l. quidam in fine ff. de Conditio. & instit. Quia memoriam non solum sitorum illibi, sed & nostræ mortalitatis nobis ingerunt. Monent enim & illos fuisse & nos esse mortales.

CAPUT

CAPUT II.

Sepulturam esse juris gentium, cujus etiam in bellis accurata ratio habita.

CORporum vitâ functorum sepulturam, (quam *Humanitatem* Cicero Orat. pro Quintio, *Humanitatem & Mansuetudinem*, Valerius lib. V. cap. 1. *Misericordiam & Religionem*, Quintilianus lib. XII. Instit. Orat. c. ult. *Misericordiam & Humanitatem*, Seneca de Benef. lib. V. c. 20. *Misericordiam & Pietatem* Ulpianus l. At si quis. §. interdum, D. de fun. act. *Clementiam*, Capitolinus in M. Antonio Philosoph. δίκην *seu justitiam* Euripides, τὸ γέρας θανόντων; *honorem, præmium, quo muneramur mortuos*, Homerus. *Honorem supremitatis*, Marcellinus Ammianus Lib. 31. *necessarium pietatis officium*, Ambrosius initio Orat. in obitum Theodosii. *Ultimum & maximum pietatis Officium*, Lactantius lib. VI. Inst. c. 12. *Misericordiam* denique ipsa Sancta pagina *Ruth. I, 8. 2. Sam. II, 5.* vocat) *juris gentium* esse, quod apud omnes gentes, vel certè plerasque, h. e. apud eas, quæ non sunt efferis omninò & incultis moribus; ut apud barbaras etiam nationes quadamtenus obtineat, ut tradit Petrus Faber Semestrium lib. II, c. 1. p. 7. si aliunde non constaret, *Dionis Chrysostomi*, auctoris gravissimi autoritate moverer, ut existimarem. Hic enim in *Oratione* περὶ ἐθῶν disertis verbis humare mortuos inter mores sive ἔθη, quæ τοῖς ἐγγράφοις seu scripto juri opponit, refert Per ἔθη verò sive consuetudines jus gentium non scriptum intelligit. Romanus sapiens (Seneca) *Humum porrigere cadaveri* inter *jura non scripta, sed omnibus scriptis certiora* ponit, *Libr. II. Controvers. Isocrates* summorum oratorum magister (elogio *Ciceronis*) in *Panathenaico*; de bello agens Thebanorum cum Argivis Adrastum Argivorum regem introducit asserentem; humare mortuos esse *morem antiquum & jus patrium, quo omnes homines intra se utantur, quodque non ab humano proditum ingenio, sed à divinâ potentiâ imperatum videatur.* Jura enim, quò sanctiora videbantur, hominibus benè moratis communia, ad Deos referebant autores, observante *Grotio de jure Belli & Pacis lib. II. c. XIX. n. 1.* Eo etiam sensu capiendus est *Ariminius*, vetus Poeta, quando inqvit:

Humano generi posuit natura creatrix
Hanc legem, ut tumuli membra sepulta tegant.

Unde naturæ id jus appellant *Philo & Josephus.* Hoc nomine se excusavit Antigone, Oedipodis Thebanorum Regis filia, apud Creontem Regem, qvod contra ipsius edictum Polonyci & Oetocli cadavera sepulturæ mandasset, dicens; *sepelire mortuos esse de jure naturæ, & juri naturæ magis esse obediendum, qvàm Regi*, uti ex Statio refert Tiber. Decianus tract crim. lib. VI. c. 40. n. 5. Solent namque interdum sub naturæ nomine comprehendi mores communes naturali rationi consentanei, teste *Grotio loco dicto.* Adeò favorabilem in jure esse sepulturam in terrâ, inqvit *Christoph. Besoldus, Consider. Politica de vita & morte lib, III. cap. 1.* ut si qvis in testamento suo qvem instituat sub eâ conditione; *Si reliqvias ejus abjiciat in mare:* ea non debeat impleri *l. 27. ff. de condit. institut.* Sanè humanitatis est, humare mortuos, hanc autem naturæ Lex imperat. Docet natura, homini ad communem matrem revertenti, non occludendum esse hujus sinum. *In hujusmodi officiis, qvæ mortuis exhibentur, morem cujusq; gentis esse servandum*, ait Augustinus Tract. 120. super caput 20. Johannis, satis hoc ostendens, scil. *sepulturas esse à jure gentium.* Vide in hanc rem plura apud Petr. Fabr. Semestr. lib. III. cap. 13. p. 174. seqq. Hominem ergò exuisse, naturæqve humanæ dedecus feciisse jure merito dicuntur *Scythæ*, qvorum alii, ut *Massagetæ, Derbices, Essedones* defunctorum corpora pecudum carnibus immixta manducarunt, alii ab arboribus suspenderunt. *Persæ*, qvibus solemne fuit cadavera extra urbis mœnia elata in campo deponere, ut pabula dent feris & volucribus. *Æthiopum* nonnulli, *Lotophagi & Ichtyophagi*, qvi mortuos in mare præcipites dederunt. *Hyrcani, Bactrii*, qvi canibus domi ad hoc nutritis dilaniandos vitâ functos objecerunt. De qvibus & aliis barbaris immanitatibus suo loco pleniùs audiemus. Barbaras hasce, plusqvam Barbaras gentes ipsa animantia bruta humanitate (liceat ita loqui) superare videntur. Hinc *Petrus Faber* Semestr. loco allegato pag. 175. *Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse produntur, homines denegabunt? Sicut* enim *nullum est* (verba sunt *Hugonis Grotii* in notis ad loc. paulo ante citatum) *in homine factum laudabile, cujus non vestigium in alio aliqvo animantium genere*

nere Deus posuerit, ita & in hac re evenit. De *apibus* mellis concreatricibus ita loqvitur *Mantuanus Homerus*, libro IV. Georg.

—— Tam corpora luce carentum
Exportant tectis & tristia funera ducunt.

Idem de solerti Formicarum genere narrant, hisqve solis ex animantibus ratione carentibus tribuit *Plinius*, Naturæ Bibliothecarius, N. H. lib. XI. cap. 30. qvando inqvit: *Sepeliuntur inter se viventium solæ, præter hominem.* Plutarchus, disertissimus scriptor, in lib. cui frons est: *Utrum animalia plus rationis habeant, qvàm aqvatilia*, testatur, referente *Kirchmanno* Appendice ad lib. de Funer. Roman. cap. I. p. 663. Formicas habere tres cavernulas, & in illarum una comitium celebrari; in alteram penum annuam recondi; tertiam verò esse mortuorum cœmeterium. εἰς δὲ τὴν τρίτην κοιλότητα ἀποτίθεσθαι τὰς θνήσκοντας. vide P. Fabrum loc. cit. pag. 177. Confer *Franzii* histor. Animalium parte V. cap. 8. Taceo *Grues, Elephantos, Delphinos*, de quibus consulendi *Ælianus* lib. II. de Animalibus c. I. & lib. XII. c. VI. jamqve dictus *Franzius* Histor. animal. parte I. c. IV. & *Petrus Faber* Semestrium loc. alleg. Cæterum humanitatem, qvæ circa mortuorum sepulturas exhibetur, non pacis solùm, sed belli etiam tempore & inter arma commendatam maximè atqve cultam Veteribus narrant Historici. Unde jus sepeliendi trucidatorum in acie corpora κοινὸν ἐν τοῖς πολέμοις vocat *Appianus*, servariqve inter hostes κἂν εἰς τὴν ἐσχάτην ἐχθρὰν προέλθωσιν, etiamsi ad extrema odia processerint, tradit *Dio Chrysostomus* loco citato. Apud antiqvissimos (*Barthius* narrat Lib. LIII. Advers. c. 7.) sepulturæ honos non exiguus habebatur, adeò ut summæ contumeliæ loco ab infensissimis hostibus cadavera arcerentur sepulturâ, ut ex Homeri Heroum historia, Bello Polynicis & Etheoclis, Thebano aliisqve historiis antiquissimis notum est. Et in Claudian. de Bello Gild. v. 39. inqvit, *Veteres contra jura humanitatis rebantur, tumulum cæsis invidere. Ne hostis qvidem*, ait lib. 1. Annalium Tacitus *sepulturam invidet.* Herculem illum monstrorum domitorum, cui vetustæ Paganorum historiæ magna omnia Virtutum exempla identidem tribuunt, permisisse primùm cadavera hostium sepeliri, ex *Ælian*o libr. XII. Variar. Historiar. cap. 27. probat *Ludovicus Vives*, Commentario ad Augustinum lib. 1. de Civit. Dei cap. XII. verùm non hoc dicere

dicere *Ælianum*, affirmat loco cit. & Lib. LX. adv. cap. XII. *Casp. Barthius*, scilicet, non consveviſſe bello cæsos humari ante Herculem, sed id velle, victoribus non fuiſſe curam hoſtium sepeliendorum ævo antiqviore. Solebant autem eos, qvi in bello occubuerant vel ipſi victores suopte impendio, in qvibus bonitatis & humanitatis plus erat, terræ tradere, vel suis sub pactis occisorum corpora dare, ne careant eorum, quæ mos imperat, honore ultimo, teste *Philone* in Flaccum. Hinc factis induciis per caduceatores sive legatos (qui, ut *Petrus Faber* Semestrium lib. II. cap. 1. ex *Dione* probat, jure gentium sacro-sancti & inviolati etiam in hoſtibus sunt, (ad sepulturam interfectorum λείψανα ab hoſtibus poſcebantur, nec ab illis, certè nisi contra fas, corpora ad humationem petentibus denegabantur. Adeò ut ob negatam sepulturam bellum juſtè suſcipi censuerint Veteres consensu magno, ut ait *Grotius* loco sæpius cit. num. V. Exempla si poſtulas, en Hannibal juratus licet Romano nomini hoſtis Caji Flamminii, item Tiberii Gracchi, Marcelliqve devictorum & obtruncatorum Romanorum ducum corpora ad funerandum qvæsiviſſe dicitur à *Livio*, rei Romanæ facundiſſimo & uberrimo scriptore, *Decad. III. lib. 2.* Hinc Cicero lib. de Senect. inqvit; *Marci Marcelli interitum ne crudeliſſimus qvidem hoſtis honore ſepulturæ carere paſſus eſt.* Commendatur etiam in Philippo Macedone circa exeqvias atqve sepulturam hoſtilium cadaverum humanitas. Vide *Petrum Fabrum*, Lib. III. Semestr. c. 13. p. 183. ubi idem inqvit, *Philippi Filium, Alexandrum Patre dignum, vereq; magnum, non nudo nomine Imperatorem; poſt ſuperatum Darium ſepultis cum curâ militibus, qvorum corpora invenerat; Perſarum qvoqve nobiliſſimis eundem honorem habere juſſiſſe, matriq; Darii permiſiſſe, qvos vellet, patrio more ſepeliret, à Q. Curtio lib. III. hiſtor. proditum recordor.* Medos ab Athenienſibus sepulturæ honore olim affectos, *qvod cadaver hominis mandare humo & occulere, tanquam in communis omnium matris ſinum deponere, fas piumq; prorſus eſſet*, ex Pausania refert Petrus Faber, loco sæpius citat. & plurima alia exempla recenset. Hi ipſi qvoqve Athenienses tam studiosè suorum in prælio cæsorum sepulturam curabant, ut apud illos in duces, qvi re alioqvi præclarè gestâ, suorum tamen in acie peremtorum corpora non tumulassent, capite animadversum legamus. Exemplum

plum cape ex ante dicto *Valerio Maximo*, lib. IX. cap. VIII. Hinc de Nicia Athenienſium duce fertur, qvòd omnem exercitum subsistere jusserit, ut duos tantùm peremptos milites honore tumuli ac funeris afficeret; *Plutarch.* in vita ejus. Cæteri enim Græci quàm studiosè in præliis cæsorum corpora sepeliverint, ex Hiſtoricis notum est. Romanos recuperata Urbe, qvam Galli Senones, gens fortiſſima, occupaverant, Gallorum ossa legiſſe & in media urbe tumulaſſe simul (qvem locum Busta Gallica vulgus & fama cognominavit,) Romana prodit hiſtoria. Eandem humanitatem L. Cornelium Consulem Hannoni, Carthaginenſium duci præstitiſſe, autor est *Valer. Maximus lib. V. c. 1.* Pompejus cum vitâ Mithridatis etiam nomen hoſtile extinctum exiſtimans, *nullas in defunctum fruſtrà iras exercendas putavit. Itaqve nihil ejus corpori inſultans in patrio id ſepulchro condi juſſit*, teste *Dione*, libro XXXVII. Hiſtor. Rom. Unde in laudem Romanorum scribit *Suidas in voce* ἀχηδής; *Romani non neglexerunt hoſtes ſuos, nec paſſi ſunt ipſos inſepultos & exeqviarum honore fraudatos jacere.* Apud Hebræos verò lege cavebatur, ne hoſtem insepultum relinqverent, teste *Rhodigino*, Lect. Antiq. Lib. XVII. cap. 19. Septentrionales, nobisqve vicinores populi prætereundi mihi minimè sunt, qvos ipſos etiam huic humanitati studuiſſe, ex *Olao Wormio*, Antiqvitatum Danicarum egregio vindice didici. Hic enim in Monumentis Danicis, qvæ studioſiſſimè primus collegit, lib. I. cap. 6. in hunc modum scribit: *Si fors aſperior ad hoſtes aut inimicos ipſos detruſiſſet, à qvibus vita privati, tumulos apud ipſos obtinebant. Hoſtilem namqve animum poſt mortem depoſuiſſe & hoſpitalem in cadaveribus tumulandis pietatem exercuiſſe, ſummæ ſemper fuit laudis.* Inter alia exemplum hujus rei petit ex *Saxone*, cui *Grammatico* ab eruditione reconditâ receptum est nomen, illustri & facundiſſimo, (qvod ævo illo, qvo vixit, vix speraſſes, vixit autem circa annum Christianum 1200) Danorum Hiſtorico, qui Hiſtoriæ suæ lib. III. introducit Collerum, hoſtem suum Horvendillum, qvo cum in arenam descendere pugnamqve inire animus erat, oratione sanè elegantî alloqventem, qvam subjicio: *Qvoniam exitus in dubio manet, invicem humanitati deferendum eſt, nec adeo ingeniis indulgendum, ut extrema negligantur officia. Odium in animis eſt, adsit tamen pietas, qvæ* rigorî

rigori demum opportuna succedat. Nam etsi mentium nos discrimina separant, naturæ tamen jura conciliant. Horum quippe consortio jungimur, quantuscunque animos livor dissociet. Hæc itaque pietatis nobis conditio sit, ut victum victor exsequiis prosequatur. His enim suprema humanitatis officia inesse constat, quæ nemo pius abborruit. Utraque acies in munus, rigore deposito concorditer exequatur. Faceſſet post fatum livor, simultasq; funere sopiatur. Abſit nobis tantæ crudelitatis ſpecimen, ut quanquam vivis odium interceſſerit, alter alterius cineres perſequamur. Glorioſum victori erit, ſi victi funus magnificè duxerit. Nam qui defuncto hoſti justa perſolverit, ſuperſtitis ſibi favorem adſciſcit, vivumq; beneficiis vincit, quisquis exſtincto ſtudium humanitatis impendet. In eandem ſententiam *Optatus Milevitanus* contra Donatiſtas, Catholicorum corpora ſepeliri vetantes, *libr. 6. contra Parmen:* loqvitur, qvæ verba adjiciam, ſic caput hoc finiturus: *Ut terreatis vivos, malè tractatis & mortuos, negantes funeribus locum. Si inter viventes fuerat certamen, odia veſtra vel mors aliena compeſcat. Jam tacet, cum quo paulò antè litigabas, quid inſultas funeri?* (qvid ſurdam terram verberas? diceret Poeta) *qvid impedis ſepulturam? qvid cum mortuis litigas? perdidiſti malitiæ tuæ fructum.*

CAPUT III.

Sepulturâ vel omni vel honeſtâ qvi prohibiti?

QVamvis jus Sepulturæ commune fuerit, neminiqve temerè denegatum, aliqvos tamen ad notam ſceleris, & infamiam vel aliâ aliquâ de cauſa aut prorſus omni, aut certè honorata Sepulturâ fuiſſe olim privatos accepimus. Apud Græcos non cremabantur αὐτόχειρες (qui tunc mos erat) ſed terrâ obruebantur in loco obſcuro & ignobili, ſine ceremoniis. Ita enim divina Philoſophiæ Syren, (Platonem cum Naudæo intelligo) ſanxit libr. IX. de Legibus; *Ut qvi ſibi amiciſſimum, i. e. ſeipſum vita privarit, non judicio civitatis, nec triſti, vel inevitabili fortunæ caſu coactus, nec pudore aliquo extremo compulſus, ſed ignavia & formidoloſi animi imbecillitate, injuſtè ſibi mortem conſciverit; ſepulturam habeat ſolitariam, ubi aliis nemo condatur. Deindè ut in his locis condatur, qvæ de duodecim regionis partibus, ultima, deſerta, innominataqve ſint: ſic obſcurus, ut neqve ſtatua, nec inſcripto nomine ſepulchra notentur.* Unde & Ariſtoteles dignus Præceptore ſuo diſcipulus; *mulcta eum civitas*, inqvit, *& ignominia afficit, qvi ſe ipſe exanimavit, ut qvi civitatem injuria afficiat.* Ethic. Nicom. lib. V. c. II. Ubi Andronicus Rhodius, exactus & diligens librorum Ariſtotelis & judex & repertor (judice *Boëthio* in procem. lib. de Interp.) id exponens ait, *ſepultura eorum corpora prohiberi.* Proditionis convictus & ſacrilegus, ſive ut cum jam dicto *Platone* loqvar, Dialog. IX. de Leg. in princip. qvi nefariâ cupiditate & die tractus & nocte excitus, templa ut furetur, petit, ut inſepulti projiciantur, communi lege ſancitum eſſe apud Græcos, author eſt *Diodorus Siculus* Lib. XVI. Bibl. Cap. 6. De lege Athenienſium in ſacrilegos & proditores (qvâ in Atticâ terra ſepeliri prohibebantur) fidem nobis facit Xenophon. lib. I. ἑλληνικῶν. Arcades etiam Ariſtocratem proditorem lapidibus obrutum extra fines ſuos ἄταφον abjeciſſe, tradit *Pauſanias* in Meſſenicis. A Græcis tranſimus ad Romanos. Hi eos, qvi *injuſſu Imperatoris ex ſtatione & præſidio vitæ deceſſiſſent* juxta Pythagoram, qvi, inqvam, ſibiipſis ferro aut laqveo mortem intuliſſent, primis illius Reipublicæ temporibus ſepulturâ omninò prohibuerunt, vel ut â voluntariâ morte abſterrerentur alii, vel qvòd indignum rati, ut inveniantur manus, qvæ ſepeliant eum, qvem occidêre ſuæ. De ſuſpendii ſuiipſius reis fidem nobis facit *Servius* ad illud Virgilii lib. XII. Æneid. Et nodum informis lethi trabe nectit ab altâ. *Sanè ſciendum eſt*, inqvit, *qvod cautum fuerit in Pontificalibus libris*, (in qvibus ſacræ ceremoniæ continentur) *ut qvi laqveo vitam finiſſet, inſepultus abjiceretur: undè benè ait*, informis lethi; *qvaſi mortis infamiſſimæ.* Tarqvinius Priſcus (ad qvem hujus conſuetudinis originem referunt, qvanqvam *Servius* Tarqvinio Superbo adſcribat) αὐτοφονευτὰς non ſolùm inſepultos abjici, ſed *& corpora eorum crucibus, ſpectanda civibus, ſimul & feris volucribusqve devoranda* affigi juſſit, referente *Plinio* N. H. lib. XXXVI. cap. 15. Pœnam illorum, qvi ſibi ipſis manus intulerunt fusè recenſet *Elbertus Leoninus* in proceſſu Criminali *ad tit. C.* de bonis eorum, qvi mortem ſibi conſciverunt n. 3. addens: *Ex qvacunq; cauſa*

qvis se interfecerit, sive tædio vitæ, sive ex impatientia doloris, sive metu criminali, sive alia ratione, corpus in sterqvilinio cum canibus communem sepulturam habet, Gl. in c. placuit 33. q. 5. vel qvod ex consuetudine magis usitatum, furca suspenditur, & bona confiscantur. Mitigatam autem posteà fuisse hanc pœnam, ait *Kirchmann.* in Appendice ad libros de Funeribus Rom. cap. IX. & restrictam ad eos, qvi facinoris alicujus sibi conscii è medio se sustulissent, puta, ut supplicium de se sumendum anteverterent. Illos verò, qvi mortis accersitæ justam caussam habuissent, (cujus nomine censebatur *vitæ tædium, doloris impatientia, pudor æris alieni, luctus &c.* Stoici *servitutis & morbi fugam*, imò & *spem gloriæ* pro justâ causa mortis voluntariæ admittebant. *Grotius* de jure Belli & Pacis lib. II. cap. XIX. n. 5.) gloriosè & honestè obiisse existimatos fuisse, atqve sepulturæ honore affectos. Qvomodo Cato Uticensis, vir sua tempestate maximus, cum Julii Cæsaris victoriam ferre non posse, vitæqve ipsum tæderet, è vitâ se sponte eduxit. Eoqve fine Demosthenes, princeps omnium Græciæ Oratorum, juxta Qvintilianum, semper venenum secum habebat, teste *Plutarcho in vita.* Hinc *Seneca* Epitom. Contr. Lib. VII. contr. 4. *Afferre sibi coactus est manus, assiduis malis. Summam infelicitatum suarum in hoc removit, qvòd existimabat licere misero mori.* Caussam accelerandæ mortis exhibendam fuisse Senatui, non obscurè indicat Qvintilianus, vetus Magister, Declam. IV. *Qvi caussas voluntariæ mortis in Senatu non reddiderit, insepultus abjiciatur.* Et apud Massilienses è vitâ aliqvem semet extrahere potuisse, refert *Valerius Maximus lib. II. cap. 6.* si caussam Senatui probasset. Hinc *Petrus Heigius* J. C. celeberrimus in Qvæstionibus Juris, qvæst. XXXVI. n. 5. *Caussam* (mortis scil. voluntariæ) *prius Senatui Romano & Massilienſi approbare necesse erat; ut hac morâ interjectâ medicinam fortè aliqvam morbo maturè afferendi, occasio non deesset.* Porrò Romanis *vetus veterrimumq;* (verbis utor *Victoris* in Constantino) *supplicium patibulorum* & qvod, si *Livio* Historiæ patri sua fides lib. I. statim sub primis Regibus usitatum. Imò qvamdiu Ethnici fuêre Imperatores, supplicium crucis à Romanis usurpatum est. Sustulit verò illud primus ex humanis, vel certè Romanis rebus Constantinus, teste jam dicto *Sexto Aurelio Victore* in eodem, & qvidem sub

sub imperii, vitæqve extrema, unde & *Sozomenus*, Ecclesiasticæ Historiæ eruditus scriptor, sed Novatianâ hæresi infectus, qvi historiam suam à Constantino Magno, ubi finit Eusebii, orditur, inter omnes ejus leges, hanc postremam recenset, lib. I. cap. 8. inqviens; *Denique Romanis prius usitatam crucis pœnam ex usu tribunalium & Judiciorum lege sustulit, nempe ob reverentiam crucis Dominicæ, ne ea pœnis damnatorum vilesceret.* Sustulit itaqve è suppliciis *Crucem* Constantinus, atqve efficaciter eam sustulit: ut *Lipsius* inqvit, libro III. de Cruce cap. 14. nec postea reperies reductam. Hinc *Augustinus*, Qvæst. in Vet. Test. *Antea homines crucifigebantur, qvod postea edicto prohibitum, manet.* Crucis loco deinde fuit furca, non vetus qvidem illa, sed nova, qvam & patibulum dicimus. Cæterum ipsos *suspendiosos*, qvos vocabant & *cruciarios*, i. e. qvi in patibulo suspensi & cruci affixi, legibus à sepulturâ arcebant. Et ne qvis deponeret, miles & custodia à magistratu addebatur, *Petronius* in Satyr. *Miles cruces asservabat, ne qvis corpora ad sepulturam detraheret*, unde πολυμαθέστατος *Casaubonus* Exercit. XVI. ad Ann. Baronii num. 90. *Qvi ex legibus Romanorum crucifigebantur, in cruce relinqvebantur, ut probat nobile apud Petronium exemplum & similia alia: nisi caussa aliqva interveniret, propter qvam deponeretur permissu Magistratus, qui ipsius jussu fuerat affixus.* Hæc ille. Hoc ergò affectos supplicio, qvod crudelissimum, teterrimumqve vocat *Cicero* V. in Verrem, qvodqve JCTI nomine summi supplicii qvandoqve designant, teste *Justo Lipsio* de Cruce Lib. II. c. 1. tabo diffluere, & à Sole & pluviâ corrumpi sinebant, ut idem ait *Lipsius* loc. cit. cap. 15. qvam corruptionem aut putrefactionem intellexit Theodorus Cyrenæus Philosophus. Cum enim ei Rex Lysimachus crucem minaretur; *Ista*, inqvit, *horribilia minitare purpuratis tuis*, ϑεοφώρῳ ὁδὲν μέλει, πότερον ἐπὶ ἢ ὑπὸ γῆς σήπεται. *Theodoro nihil interest, homine, an in sublimi putrescat*, ut est apud *Ciceron.* I. Tuscul. qvæst. Neqve aliam sepulturam *Seneca* Epitom. Controv. lib. VIII. contr. 4. *Omnibus natura sepulturam dedit, naufragos idem fluctus, qvi expulit, sepelit. Suffixorum corpora crucibus in sepulturam suam defluunt, eos, qvi vivi uruntur, pœna funerat.* Tria potissimum genera eorum, qvibus ipsæ Leges sepulturam denegarunt, se reperire, ait *Kirchmannus* loc. cit.

c. VII. Hostes patriæ, suspendiosos & Αὐτόχειρας. Hostium patriæ nomine intelligit perduellionis & læsæ majestatis reos, pacis publicæ perturbatores, proscriptos, & qvicqvid est hujus farinæ, qvorum pœnæ ad exemplum aliorum pertinebant. Hosqve olim sepulturâ fuisse prohibitos aliqvot exemplis probat. Eadem ἀταφίας pœna manebat ipsos etiam Imperatores, si in tyrannos degenerassent, malè de Republicâ meritos. Exemplo esse potest Vitellius Imp. qvem post varia ludibria *tandem apud Gemonias* (scalas) *minutissimis ictibus exarnificatum atq; confectum & inde unco tractum in Tiberim*, tradit *Svetonius* cap. XVII. Et Heliogabalus, qvi in cloacam missus & in Tiberim præcipitatus est, testibus *Sext. Aurelio Victore & Lampridio. Quod odio communi omnium contigit*, inqvit Lampridius, *siqvidem nec sepulchra mereantur, qvi amorem Senatûs, Populi ac militum non merentur.* Porrò Imper. Vespasianus adhuc Prætor, pœnæ Conjuratorum Germaniæ addendum censuit, ut insepulti projicerentur, ut autor est *Svetonius* in Vespasiano cap. 2. in f. Eâdem severitate usi sunt Romani in Parricidas. Hinc *Sigismundus Finckelthaus*, JCtus celeberr. in Conclus. Jurid. de jure Sepulturæ: th. XIII. inqvit; *Solon qvidem olim nullam ob hoc crimen* (parricidii) *legem tulit, qvia non speravit, qvòd tàm impium & nefarium scelus in cor hominis cadere possit; Idem sensit & Romulus, qvi illud impossibile judicavit. Alii legumlatores dubitarunt, qvam pœnam invenirent, qvâ rabies hæc plus qvàm beluina expiaretur; eam verò tandem Romani, tanqvam reliqvis sapientiores constituerunt, ut videlicet parricidæ omnium elementorum usura, qvæ aliàs cuivis communia sunt, adeoq; & ipsa sepultura eriperetur.* Hæc ille. Secundum Divi Hadriani constitutionem bestiis objiciebatur Parricida *l. pœna IX. D. ad L. Pompejam de Parricidis.* De cœtero punitorum corpora petentibus ad sepulturam non difficulter concedebantur à Magistratibus præsertim æqvioribus, sic enim *Domitius Ulpianus*, qvem Modestinus nobilissimum & Jurisconsultorum coryphæum appellat, *L. 1. ff.* de cadaveribus punitorum. *Corpora*, inqvit, *eorum, qvi capite damnantur, cognatis ipsorum neganda non sunt, & id se observasse etiam D. Augustus lib. X. de vita sua scribit.* Et *L. ult.* ibidem *Paulus* (Ictus autoritate quidem Ulpiano par, librorum verò multitudine superior, ut *Val. Forsterus* ait,

ait, Hist. Jur. Civ. lib. II. c. 78.) *Corpora animadversorum qvibuslibet petentibus ad sepulturam danda* esse scribit L. XI. Cod. Diocletianus & Maximianus Impp. Gaudentio in hæc verba rescribunt; *Obnoxios criminum digno supplicio subjectos, sepulturæ tradi non vetamus.* Certè Cicero Verri probri loco objicit, qvòd *sepulturam punitorum denegare aut divendere fuerit solitus.* Concedebantur igitur facilè puniti, nisi in gravioribus delictis, ubi opus erat exemplo, unde jam laudatus Ulpianus loc. cit. *nonnunqvam*, inquit, *non permittitur, maximè majestatis causâ damnatorum*, ut scil. eorum corpora sepeliantur. Hinc etiamnum secundùm communem consuetudinem Germaniæ, Sceleratorum cadavera, vel palis suffixa, vel rotis imposita aut patibulo suspensa relinqvuntur, ut horrendo hoc & deformi spectaculo alii metuere discant, & à talibus facinoribus deterreantur & ita, unius facinorosi supplicio, multorum improbitas coerceatur. Imprimis aggressores publicarum viarum suspensi in patibulis relinqvuntur, ut cæteris sint exemplo, juxta L. *Capitalium 28.* §. *Famosos 15.* ubi Callistratus dicit; *Famosos Latrones in his locis, ubi grassati sunt, furcâ figendos qvàm pluribus placuit, ut & conspectu deterreantur alii ab iisdem facinoribus.* Deniqve *Fulguritos*, sive qvi fulmine icti, omni omninò sepulturâ caruisse apud Romanos, vult *Adrianus Turnebus*, lib. XVI. cap. 22. ex lege Cascâ Numæ Pompilii, qvam recitat Festus in voce *Occisum.* Sed legem Numæ non rectè intellexisse Turnebum, humatosqve fuisse χερσαυνοπλῆγας, sine tamen ullis justis, & funerum solemnibus, & qvidem eo ipso in loco ubi fulmine tacti, nisi fortè in loco publico, vid. in templo, theatro, circo &c. fulmine occupati fuissent, tum enim aliò translatos fuisse, ostendit ante laudatus *Kirchmann.* de Fun. Rom. lib. I. cap. 3. Confer *Kornmannum* de Miraculis Mortuorum parte VI. cap. 31. Apud Ægyptios qvoqve servatum hunc morem, ut dentur ἐλώρια κυνέουσιν οἰωνοῖσί τε πᾶσι *canibus laniena atq; avibus cunctis* corpora suspensorum, colligi haud obscurè potest ex vaticinio Josephi Gen. XL. v. 19. *Rex suspendet te*, Pistorum magistrum alloqvitur, *in ligno & volucres comedent carnem tuam. Ex qvibus colligimus*, inqvit *Rivetus* in Comm. ad hunc loc. *antiqvum fuisse morem, & ex jure gentium derivatum, ut malefici pœnis capitalibus plecterentur, & cadavera supplicio affectorum exponerentur*

nerentur insepulta, avibus aut feris lanianda. Apud eosdem, cadavera debitorum Creditoribus in pignora dabantur & ab illis insepulta detinebantur, donec hæredes æs alienum integrè solverent, ut refert *autor de moribus Gentium*. Qvod tanqvam inhumanum & crudelitati proximum vetant leges. Hinc *Didacus Covarruvias*, Variarum Resolut. Tom. II. fol. III. n. 10. Illud creberrimo omnium consensu expeditum est, non esse impediendam sepulturam, nec denegandam debitoris cadaveri, sive is pauper sive dives sit. Conferatur *Schneidewin.* lib. IV. de Interdictis §. summa autem divisio Tit. XV. Septentrionales populos, eandem ἀπωθίας pœnam statuisse in Tyrannos & horrendo qvodam facinore notatos, clarum est ex *Saxone Grammatico*, qvi lib. IV. Historiæ suæ narrat; Fengonis Tyranni cadaver nec urnâ nec tumulo dignũ judicasse Amletum, sed ut cineres in auras dispergerentur jussisse. Existimabant enim ejus cineres, qvi patriam libertate nudaverit, à patriâ tegi non convenire. Apud Hebræos sepulturâ prohibebantur ἀνοχιεῖς, qvod *Josephus* (qvem Græcum Livium appellat S. Hieronymus) nos docet, Lib. III. de Bello Judaico c. 25. Qvò referri possunt verba *Egesippi* lib. III. de Excidio Hierosolymitano cap. 17. *Hæc non solùm moribus hominum, sed etiam legibus interdicta accepimus. Namq; alii insepultos projici jubent eos, qui se in ferrum dejecerunt. Dignum est enim, ut qvi Patris imperium non expectaverunt, priventur qvasi qvodam matris gremio, terræ sepulchro. Alii dextram manum abscindunt defunctis, ut separent à membris sui corporis, qvod adversas corpus suum vesano militavit furore.* Hæc ille. *Jacobus Pontanus* Progymn. Lat. lib. IV. in annotat. progymn. 63. utrumqve conjungit inqviens; *Apud Hebræos qvi semet interemissent, amputatâ dextrâ inhumati projiciebantur.* Confer *Lilium Gregor. Gyraldum Ferrarien.* de vario sepeliendi ritu, qvi eadem verba Egesippi adducit. Tali modo animadvertebant in eos, qvi spontaneâ morte se educebant è vita. Nec id mirum, cum in hos aliud supplicium constitui non possit, qui mortem pro supplicio non habent, ut ait *Grotius* de Jur. Bell. & Pac. cap. XIX. n. 5. *Nonnulli tamen*, inqvit hoc ipso loco *Gratius, Hebræorum de lege se non interficiendi unam causam excipiunt, si qvis videat, se deinceps victurum in probrum ipsius Dei. Et huc referunt*, ait paulò post, *Samsonis exemplum, qvi in suo corpore veram religionem videbat esse derisui, & Saulis, qvi gladio incubuit, ne à Dei suisqve hostibus illuderetur.* Unde & Samsonem, giganteum illud robur Israelis, qvi seipsum cum Philisteis, populo DEI inimicis ruina domus oppresserat, sepulturâ honoratum legimus Judic. cap. XVI, 31. Et qvi Saulum, Judæorum Regem dicam, an Tyrannum, ne vivus perveniret in manus hostium, in suum ipsius gladium irruentem I. Reg. XXXI, 4. cum honore sepelierant, rectè facti testimonium à Davide retulerunt, II. Reg. c. II, 5. Absalomus optimi parentis pessima progenies, qvi ex seipso prætermentem qvidem, justo tamen DEI judicio, longam literam, ut Plautus ait, fecerat, dum mortem ei machinabatur, cujus beneficio vitam erat adeptus, non dignabatur consvetâ sepulturâ, sed in vastam voraginem detrudebatur, lapidibus insuper cumulatè exaggeratis, ut tam nefarium parricidii facinus memoriâ ac nomine loci notaretur, II. Reg. XVIII, 17. Et ut qvotqvot illac transirent, haberent potius, qvid execrarentur, quam cui qvietem precarentur & pacem. Sicqve locum habuit in Absalonis pœnâ Lex Deut. XXI, 18. qvæ filium protervum & contumacem lapidibus obrui ab universo populo jubet, qvod in traditionibus Hebraicis & à Lyrano notatum est. *Manet ad hoc usq; tempus cumulus ille lapidum, ut referunt*, inqvit Gaspar Sanctius Jesuit. in h. l. *qvi terræ sanctæ nobis reliqverunt Topographiam: qvem sic horrent propter impium & crudele facinus ipsi etiam Mahometani, qvi terram illam incolunt, ut cum execratione eò lapides mittant, dicentes:* Maledictus sit parricida Absalon & quicunque injustè parentes suos perseqvuntur, maledicti sunt in æternum. *In Sepulchrum autem Absalomis conjecti sunt lapides, qvia Deuter. cap. 21. filius contumax jubetur à populo lapidari. Cum autem jam esset telo transfossus, obrutus est in fovea lapidibus, qvos, si viveret, experiri debuit à populari manu. Ita putant Hebræi, ut in eorum traditionibus refert Hieronymus.* Hæc Sanctius. Cæterum apud Judæos ab antiqvo qvatuor fuerunt suppliciorum genera; (ipsi vocant סְקִילָה mortes) *Lapidatio, Combustio*, sive vivicomburium, ut appellat Tertullianus, *Decollatio, & strangulatio seu suffocatio* (qvæ fiebat per sudarium, qvod utrinqve trahebatur, usqve dum reus animum efflaret, teste *Drusio* in Levit. p. 311.) ut recensentur à Talmud & aliis Rabbinis.

Crucifi-

Crucifixorum, fortè inqvis, me omittere; sed habeto, Crucem non fuisse Judæorum supplicium ordinarium. Ita enim illorum Magistri apud Paulum Fagium ad Deut. *XXI, 22.* (ex ejus interpretatione.) *Non fuit mos in Israel, ut clavi figerentur in pedibus & manibus hominum lapidatorum ac suspensorum. Nam tradita sunt quatuor genera mortis judicibus; Lapidatio, Combustio, Occisio, Strangulatio. Occisio fit gladio, & est Lapidatio durior Combustione & Combustio gravior Gladio, & Gladius durior strangulatione. Non autem invenitur, qvòd homo clavis figi debeat ad crucem, sed suspendendus est blasphemus & idololatra, juxta id, qvod dicitur, qvia maledictus Dei est suspensus.* Hæc illi. Idem contra conditorem Annalium Baronium & Justum Lipsium latè probat *Casaubon*, Exerc. XVI. num. LXXVII. Suspensionem, qvam *Carolus Sigonius* eodem errore cum crucifixione confundit, de Republ. Hebræor. lib. VI. cap. 8. ad lapidationem reducunt Talmudici, Suspensos verò de *infelici arbore*, (ut Livius, vel *stipite infami*, ut Seneca appellat) Lex divina Hebræis lata, ut omnis virtutis, ita & humanitatis magistra, eodem die â conspectu removeri & humo mandari jubet, Deut. XXI, 22. & 23. *Qvando peccaverit homo, qvod morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit,* (sive juxta Hebraicam veritatem *pernoctabit*, LXX. ὐκ ἀποκοιμηθήσεται, *non indormiscet*) *cadaver ejus super ligno, sed sepeliendo sepelies eum in die ipsa.* Juxta qvam legem Josue regem Hai, qvi malè acceperat Israelitas & victoriâ insolentior factus fuerat, suspendi jussit *usqve ad vesperam & Solis occasum*, cumqve occideret sol, præcepit, ut deponerent eum, Josuæ VIII. 29. Et c. X, 26. 27. Qvinqve reges Chananæorum è lignis suspensos ad vesperam ex lignis demitti jussit, ac projici in speluncam illam, ubi se prius absconderant. Hinc *Josephus* Historicus, lib. IV. cap. 7. *tantam Judæis*, ait, *esse curam sepulturæ, ut eos etiam, qvi ad patibulum damnati sunt, ad solis occasum tollant & humo mandent.* Qvod si qværatur, cur suspensi cadaver non debuerit in ligno relinqvi per noctem, sed eodem die artificiali ante Solis occasum sepeliri, respondent Judæi, *quod ante sepulturam cadaveris anima ad qvietem suam venire non possit, nec ab Angelis duci in thalamum Dei, sed interim vexari & affligi à turmis dæmonum*, sed nugæ hæ sunt, & aniles fabulæ. Moses

loc.

loc. alleg. duas tradit rationes, 1. quia *maledictus est a Deo suspensus in ligno. 2. ne contaminetur terra.* Vide B. Gerh. Comment. in h. l. Christus humani generis sospitator, innoxius ille agnus in crucem actus est more & supplicio Romano, sed & ante Solis occasum à cruce depositus & sepulturæ mandatus est, petente id Josepho ab Arimathæa, civitate Judææ (quæ olim dicebatur Ramatha, eratq; Patria Samuelis, ut colligitur ex *I. Reg. cap. 7.*) ut docet dilectus Jesu Discipulus in Evangelio suo c. XIX, 38. Et qvamvis postulatum Josephi Romanis legibus erat congruum, nihilominus tamen in potestate Judicis erat, censeretne corpora damnatorum in exemplum in furcâ relinquenda, an verò ad preces amicorum sepulturæ tradenda. Unde & ἐδωρήσατο dicitur Marci XV, 45. donavit & ex gratiâ concesit Pilatus corpus Jesu Josepho. Vide B. *Gerhardi* Harmon. Evang. Histor. Pasion. Christi cap. XIX. Hinc ait *Carolus Sigonius* de Republ. Hebræorum lib. VI. cap. 8. *Mos fuit, ut crucifixi cognatis ad sepulturam concederentur, quod & in Christo servatum est & in aliis, ut tradit Philo in Flaccum.* Ἀπιθανα exempla Judicio Dei constituta habemus in Sacris Literis; Domui Jeroboam Deus propter Idololatriam, sepulturam denegavit, 3. Reg. XIV, 11. *Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cæli, quia Dominus locutus est:* Jesabelem, uxorem Achabi propter persecutiones, cædes & impietatem canibus dilaniandam objecit 4. Reg. IX, 10. 35. 36. 37. Regem Jojakim ob sceleſtissima facinora, quibus se adstrinxerat, extra portas Hierusalem projectum & putrefactum, sepulturâ asini sepultum iri prædixit *Jerem. XXII, 19.* his verbis: *Sepulturâ asini sepelietur, putrefactus & projectus extra portas Jerusalem*, i.e, Cadaver ejus insepultum abjicietur lacerandum â feris & volucribus: sicut accidit asinis & eqvis. Chaldæus vertit; *sicut projiciunt cadaver asini, sic projicient cadaver ejus*, nempe insepultum relinqvent sub dio, id quod ipsi inveniſſe testatur Josephus *lib. X. Ἀρχαιολ. cap. 8.* De Rege Babylonio dicitur Esaiæ XIV, 11. *qvod deducatur in sepulcrum fastus ejus, strepitus nabliorum ejus.* Hoc est, exponente Dn. D *Samuele Glassio, Philol. S. Lib. V. tract. I. cap. XII. de Metaph. â subjectis contin.* omni honore sepulturæ careat, justaque ipsa, quæ ei, ut potentissimo Regi solvenda erant, velut sepulta jaceant, neque adhibeantur. Evenis-

se hoc ei ex Dan. V. colligi non obscurè potest. Alias his similes comminationes Dei videbimus sequente capite. Restat ut de Christianis dicamus. Hi autem, nisi qui rogo concremantur, aut in patibulis appenduntur, sepeliunt omnes; tametsi non omnes solemni ritu ac ceremonia. Canonistæ distinguunt inter sepulturam honestam seu Ecclesiasticam & ignominiosam seu qualemcunque. Honestam appellant, cui adhibentur ceremoniæ ac ritus pro loci cujusque consuetudine solemnes. Ignominiosam verò, qvæ fit extra locum consuetum, & ubi solennitates ejusmodi omittuntur. Jus Canonicum (qvod excoli cœpit Magistro Gratiano, Canonistarum parente & progenitore, qui circa annum Christianum 1140. claruit) sepulturam Ecclesiasticam, sive qvæ fit in loco consecrato & adhibitis solennibus negat 1. Infidelibus *Paganis* sive Idololatris & *Judæis* c. Ecclesiam & cap. seqq. de consecr. distinct. 1. 2. *Hæreticis*, etiam post mortem damnatis c. sanè profertur 24. q. 2. c. si quis episc. de hæret. cle. 1. de sepul. pertinacibus put a hæreticis, h. e. qvi in fundamentalibus fidei articulis errant atque errorem suum pertinaciter defendunt. 3. *Manifestis, Usurariis*, qui scil. ob hoc crimen jam à Judice per sententiam damnati & in hoc peccato decedunt c. quia in omnibus de usur. cle. 1. & c. quamquam *de usur.* in 6. 4. *Mortem sibi consciscentibus*, c. placuit 23. quæst. 5. ubi tamen inter *αὐτόχειρας* distinctio adhibenda, de qua vide B. Gerhar. Loco Theol. VIII. de Morte num. XXXVII, 5. *Excommunicatis*, c. Sicut de hæret. c. fi. de sepult. 6. *Blasphemis, impœnitentibus* c. statuimus de maled. 7. *Monachis proprietariis*, sive *proprium habentibus* c. super quodam, de statu monachor. Vide Kornmannum de Mirac. Mortuor. part. VII. capp. 55. 8. *Intorneamentis morientibus* c. 1. de torneament. Id qvod de illicitis torneamentorum generibus accipiendum, inquit *Sigismund. Finckelth.* disp. de jure Sepult. th. *XIII.* quæ non virtutis, sed lucri fortè solius gratia instituuntur & magis temeritatem, quàm fortitudinem præ se ferunt, 9. *Non communicantibus semel in anno, nec confitentibus*, c. omnis utriusque de pœn. nisi signa contritionis ostendant. 10. *Raptoribus*, qui pertinaciter, cum possint, in vitâ non satisfaciunt, & in morte non possunt. c. 2. de rapt. 11. *Quibus interdictus ingressus Ecclesiæ* c. 15. cui de sent. exc. in 6. &c. Et in summa, *Sacris est canonibus institutum*, inquit Innocentius, *ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis: & ut careant Ecclesiasticâ sepulturâ, qui prius erant ab Ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint.* C. sacris, de sepult. Confer Kornmannum de Miracul. Mortuorum part. VII. cap. XI. Concilium Braccarense I. de illis, qui sibi ipsis manus inferunt, ita statuit Canone XXXIV. *Item placuit, ut, qui sibi ipsis aut per ferrum aut per venenum aut per præcipitium, aut suspendium aut quolibet modo violentiæ inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neq; cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur.* Non ergò hos, aliosque notoriæ impietatis homines omnimodà humatione ac funeratione arcebant, sed honorificam illam funeris ad loca consueta, cum campanarum pulsu, Psalmodiarum concentu aliisque usitatis ceremoniis deductionem illis denegabant, quod adhuc hodie obtinet. Hinc Agenda Brunsvvicensis; *Adulteri, Scortatores, fures, usurarii & similes, qui ab omni usu Sacramentorum abstinuerunt, & ad pastoris sui vocem vitam in melius non commutarunt, in flagitiis & sceleribus suis mortui ac sepulti sepeliantur cum aliis Lutheranis in communi cœmeterio, sed tamen sine processione, sine cantu, aliisq; Lutheranis Ceremoniis.* Quod si de facto in cœmeterio Ecclesiastico sepultus, qui sepeliri prohibitus aut excommunicatus, effodi & ejici jubebatur olim, si ossa discerni poterant. *C. jam citat. sacris, De sepult.* In Cœmeteria honestis hominibus condita facinorosorum corpora inferri nefas habitum fuisse, exemplo docet *Baldericus*, in Chronico Cameracensi lib. 3. cap. 20. Beda, qui ex vitæ sanctitate morumque gravitate venerabilis cognominatus est, lib. V. histor. cap. 15. de quodam Fabro in desperatione mortuo refert, *quòd Monachi eum in ultimis Monasterii sui, in quo obierat, locis humarint, nec Psalmos pro eo cantare voluerint.* Pontificii *Infantes Christianorum, qui ἀβάπτιστοι* sive *ante susceptum Baptismum* demortui sunt, vel *extra Cœmeterium* vel *in peculiari aliquo Cœmeterii angulo*, absque Christianis ritibus & cantionibus sepeliunt, eam scil. ob causam, quia illos *absolutè damnatos, atque in æternas tenebras detrudendos esse*, Rhadamantæo judicio statuunt, vide *Bellarminum* lib. VI. de amiss. Grat. & statu peccati cap. I. *Lindanum* Lib. IV. Panopl. cap. 15. *Maldonatum* in Matth. cap. XXV, 23. *Canum* in Relect. de Sacram. part. II. §. *afferent. Azorium*

lib. IX. moral. cap. 33. §. *tertio.* Sed cum constans sit Theologorum nostrorum sententia; *Infantes Christianorum ob causam necessitatis divinitus immisse, absque parentum suorum incuriâ & negligentiâ, sive in utero materno, sive post egressum ex illo, ante & citra Baptismi perceptionem extinctos non damnari, sed ex immensâ Dei gratiâ & misericordiâ extraordinariè in illis operante sui peccati remissionem adeptos salvari,* hinc illos consueto sepulturæ honore afficimus, juxta Constitut. Ecclesiastic. Augusti Electoris in articulis generalibus cap. 15. pag. 335. ordinationem, quæ sic sonat; Dieweil auch grosse Vngleichheit mit Begräbniß der ungetaufften Kinder / oder so in Mutterleibe gelebt / aber todt auff die Welt kommen / gehalten / daß etliche Pfarrer dieselben nicht mit den Schülern / wie die getaufften Kinder / zum Begräbnis begleiten / etliche auch nicht an die Ort begraben wollen / da andere Christen begraben seyn / dadurch den Christlichen Eltern nicht allein groß Betrübnüß gemacht / sondern offtmahls die Mutter / als der schwechste Werckzeug / in grosse Anfechtung gerathen. Vnd aber der Christen Seligkeit nicht also an die heilige Tauffe gebunden / wann die Christliche Mutter an den Kindern nichts versäumt / noch an derselbigen unzeitigen Tod schuldig ist / sie aber durch das Gebethe dem allmächtigen / vermöge seiner Verheissung / befohlen / da er gesagt / ich bin dein Gott / und deines Samens nach dir / daß sie darumb verdampt werden sollen / wie dann ohn Zweiffel viel Kindlein im Alten Testament vor dem achten Tage gestorben / die nicht beschnitten und gleichwohl ungezweiffelt selig worden sind / der Vrsach denn auch an solcher Kinder Seligkeit / die also durch das gläubig Gebethe / Gott befohlen nicht zu zweiffeln / so sollen hinführo die Pfarrer und Kirchendiener solche Kinder nicht weniger / als die andern / mit Christlichen Ceremonien / nach jedes Ortes Gebrauch / zur Begräbniß begleiten / und bey andern Christen zur Erden bestätigen. Rectè & piè Dn. D. Feurbornius Fasciculo II. Dissertat. Theol. disput. VII. thes. 89. *Si Deus ex infinitâ suâ misericordiâ & benignitate eorum animas è corporibus profectas statim donat æternâ beatitudine & decorat cœlesti gloriâ, (ut in Theoremate antegresso tertio probavi) cur nos ipsorum corpora afficiamus dedecore & labeculâ? 2. Isti infantes sunt Christianorum semen & soboles. Cur non ergò eodem cum parentibus suis dormitorio gaudeant? 3. Quando infantes tales orbantur constituto cœmeterio, tum parentes, quibus illi cari fuerunt, conjiciuntur in majorem luctum & ignominia ipsorum redundat in hos. Quod fieri non debebat. 4. Nulla urgente ratione nititur illa consuetudo, quâ tales infantes aut prorsus privantur communi Christianorum cœmeterio, aut in aliquo ejus angulo humantur, siquidem hujusce rei ratio esse nequit eorum damnatio. Non enim damnantur, sed salvantur. Et certè si vel maximè damnentur, (ut tamen verum non est) quis inde rectè concludat, eorum corpora non esse humanda in ipso Cœmeterio? Nonne proh dolor multi adulti Christiani moriuntur ἄπιστοι καὶ ἀμετανόητοι, ipsorumque ἀπιστία sæpe ex effectibus perspicitur, nec tamen ipsorum, quando ex hac vitâ migrarunt, corpora vel consueto privantur dormitorio, vel in aliquo ejus angulo recondunturniſi apertè fuerint facinorosi.* Hæc ille. Confer. B. Gerhard. in Locis Theolog. tract. de Morte §. 139.

CAPUT IV.

Sepulturæ carentia pro ignominia pœnaque gravi semper habita, & pro graviori exhumatio.

QVanquam Poëtarum Principi, Maroni; *Facilis jactura sepulchri:* Et, *Cœlo tegitur, qui non habet urnam,* juxta Lucan. lib. 7. *Nec damno nec pudore affici possunt mortui, cum nihil sentiant,* ut monent Homerus, Æschylus, Sophocles, Moschio & alii, vide Stob. tit. 126. & Soph. in Ajace. unde & Zisca dux Husitarum naturæ debitum soluturus edixit, ut cutis sibi post mortem detracta in tympani usum concederet. *Æn. Sylv.* lib. III. Comment. de rebus gestis Alphonsi Reg. Neque ad salutem quicquam prodest, utrum sepulti an inhumati mortui jaceant, nec aliquid nocet fidelibus, negata eorum corporibus sepultura, *Augustin.* lib. de cura fuscipienda pro mortuis. Custodit enim Deus omnia ossa piorum Psal. XXXIV, 20. Tamen uti sepultura honesta inprimis, beneficii, præmii ac honoris, ita contra denegatio ejusdem ignominiæ & pœnæ loco semper est habita. Eosque miseros judicarunt pleriq; & infelices, quorum cadavera insepulta jacerent, quibusque hic supremus humanæ conditionis

honos deesset. Sanè *Aristoteles* Rhetor. lib. I. cap. 5. Sepulturam inter honoris species refert, inquiens μέρη δὲ τιμῆς τάφοι, εἰκόνες &c. Partes verò honoris sunt sepulchra, statuæ. Sepulturæ verò carentia apud Virgilium *malum* appellatur lib. VI. Æneid.

Eripe me his, invicte, malis, & tu mihi terram Injice.

Imper. Vespasianus Sepulturæ privationem in gravium pœnarum numerum retulisse videtur, dum in augmentum *pœnæ Conjuratorum addendum censuit, ut insepulti projicerentur*, ut supra ex *Suetonio* in ejus vita cap. 2. retulimus Grave judicatum est, ait *Olympiodorus* in Cat. Joh. cap. 15. animadversionis genus sepulturæ spoliari honore, & inhumatum jacere. In atrocitate pœnarum illud est, inquit *Petrus Gregorius Tholosanus*, Syntag. Juris Universi Lib. XXXII. cap. 29. n. 1. non sepeliri, sed vel avibus laniandos exponi vel membra alicubi in terrorem malefactorum suspendi, quia non sepeliri pœna per se. Unde & *Melchior Junius* Quæstion. politicar. quæst. CIX. *Injure præterea pœnæ gravissimæ loco habetur*, inquit, *non permitti, ut corpora sepeliantur.* Refert *Barthius*. autor antiquitatis optimus Lib. XXXV. Adversar. cap. V. *Maximam Pœnam fuisse mancipiorum, abjici insepulta. Pœna maxima*, inquit *Drexelius* in Tobia part. I. cap. IV. §. 1. *privari sepulturâ, quod patibulatis fit & suâ manu jugulatis.* Nec pœnæ saltem loco, sed etiam ignominiosum valdè habebatur, apud priscos gentiles nudum jacere cadaver. Deprecatur hanc ignominiam Archytas Tarentinus Philosophus apud *Horatium* lib. I. Carminum Oda XXVIII. ubi orat nautam, ne se naufragum insepultum jacere patiatur, sed aliquantulum arenæ cori pori injiciat:

Quanquam festinas, inquit *(non est mora longa,) licebit injecto ter pulvere curras.*

Respicit Venusinus Vates ad legem Atticam, quæ jubebat, *ut si quis in insepultum hominis cadaver incideret, saltem ei terram injiceret*, Ælian. libr. V. Variar. histor. c. 14. Sensus legis erat, ut si quis in cadaver aliquod inhumatum in via sibi fortuitò, ut fit interdum, objectum, incideret, & totum terrâ obruere per temporis angustiam non posset, tantùm plenâ manu ter jacta terra aliqualem saltem sepulturam faceret. Ulysses apud Euripidem in Hecuba mavult in vitâ re esse tenui, quàm honoratâ carere sepulturâ. *Barth.* Lib. II. Adversar. cap. 7. Olympiadem, prodit historia, cùm inaudis-

inaudisset, filium Alexandrum Magnum (area cui totus parvula mundus erat) diutius sepulturæ honoribus exutum jacere, graviter indoluisse; O Fili, tu quidem cœlum tibi vendicare satagebas; at nunc, quæ cæteris ex æquo communia omnibus censentur, ne iis quidem potiri potes, terrâ & conditorio. *Ælian.* lib. XIII. cap. 30. *C. Rhodig.* lib. XI. cap. 81. Eandem infelicitatem deplorat *C. Vellejus Paterculus* in Pompejo Magno, Principe, ut ipsum vocat, Romani nominis lib. II. Histor. cap. LIII. *Hic* (de Jugulatione ejus loquitur) *post tres consulatus & totidem triumphos, domitumq; terrarum orbem, sanctissimi ac præstantissimi viri, in id evecti, super quod ascendi non potest, duodesexagesimum annum agentis, pridie natalem ipsius, vitæ fuit exitus: in tantum in illo viro à se DISCORDANTE fortunâ, ut cui modò ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam.* Hanc ignominiam ut à Parente suo averteret Cimon, vincula subibat, quibus ille ligatus erat. Cimon, inquam, Athenienfiscum pater ejus Miltiades litem æstimatam populo solvere non potuisset, ob eamque causam damnatus in vinculis publicis decessisset, nec per leges liceret funus efferre, nisi pensitata pecunia: & ille non esset solvendo, translatis in se vinculis, patrem ad sepulturam redemit. Hinc egregia illa laus Cimonis apud *Valerium Maximum* lib. V. c. 4. *Nec te quidem Cimon silentio involvam, qui patri tuo sepulturam voluntariis vinculis emere non dubitasti.* Apud Judæos insepultum abjici aut relinqui pro summâ habebatur ignominiâ & infelicitate. Est inter pœnas Jesabeli comminatas atrox: *Non erit, qui sepeliat eam.* IV. Reg. IX, 10. Apud Ecclesiastem cap. VI, 3. *& sepultura non est ei, dixi, melior est eo abortivus*: melior i. e. felicior. Non enim pars minima infelicitatis erat sepultura carere, ut annotat ad hunc loc. *Drusius* in Præteritis Lib. X. ad Apocal. cap. XI. v. 9. Notæ sunt graves illæ comminationes Dei apud Jeremiam; *Non colligentur & non sepelientur, in sterquilinium super faciem terræ erunt.* Jerem. VIII, 2. & Ezechielem, *super faciem terræ cades, non colligeris, neq; congregaberis; bestiis terræ & volatilibus cœli dedi te ad devorandum*, Ezechiel. XXIX, 5. Apud Jeremiam minatus est Deus Joacimo *sepulturam asini*, Jerem. XXII, 19. quod dignior esset consortio bestiarum, quàm hominum, qui ab illis etiam post mortem humatione separantur. Hinc adagium, *Sepulturâ asini sepelietur*, Chaldæus; *Sicut projiciunt*

projiciunt cadaver asini, sic projicient cadaver ejus, hoc est, ἀκηδῶς sive sine sepultura relinquetur. *Olympiodorus* in supra dictum c. VI. Ecclesiastæ, *Doctor*, inquit, *qui benè docet, & malè vivit, sepulturâ asini sepelietur.* Asini sepulturam Græci ἄταφον τάφον vocant. Juxta Ciceronem Philip. 1. dicas insepultam sepulturam. Est autem Asini sepulchrum *sordidus aliquis & apertus locus, qui neq; tegat cadaveris horribilem & obscœnam speciem, neq; canes aut volucres à lacerstione prohibeat*, ut exponit Sanctius in lib. IV. Reg. c. XXIV. n. 9. quod ipsum explicat etiam Jeremias c. XXXVI, 30. *Cadaver ejus projicietur ad æstum per diem & ad gelu per noctem. Maledictionis divinæ signum fuisse*, dicit *Calvinus* Comm. in lib. I. Samuel. c. XXXI. *corporum illam abjectionem, non verò semper regulam istam locum obtinere, nempe ut sepultura sit favoris Dei signum, contra verò insepultum jacere maledictionis testimonium. Id quod probat exemplo divitis epulonis, qui cum honore sepultus dicitur, & Lazari, de cujus sepultura nulla fit mentio, ut sive honore corpus ipsius abjectum videatur.* In quem sensum *Augustinus* lib. 1. de Civit Dei cap. 12. & lib. de cura mort. c. 2. *Præclaras exequias in conspectu hominum exhibuit purpurato illi diviti turba famulorum, sed multò clariores in conspectu Domini ulceroso illi pauperi ministerium exhibuit Angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ gremium sustulerunt.* Dicitur quidem Psalm. LXXIX, 2. *Posuerunt cadavera servorum tuorum escam volatilibus cœli, carnem sanctorum tuorum bestiis terræ.* & vers. 3. *effuderunt sanguinem eorum, tanquam aquam & non erat, qui sepeliret.* Sed hæc magis ad exaggerandam crudelitatem istorum, qui ea fecerunt, quàm ad eorum infelicitatem, qui ista perpessi sunt, dicuntur, ut observat *B. Gerhardus* Loc. Theol. VIII. de Morte n. 83. Hanc crudelitatem perpessa sunt antiquitùs Martyrum & piorum Christi Confessorum corpora. Quod cum ægrè admodum ferrent Christiani reliqui, martyrum scil. corpora feris avibusque exponi, etiam capitis periculo noctu solebant surripere, si quando minus accuratè custodirentur. Vide *Marcum Velserum* Commentario ad passionem S. Afræ & sociarum. In quam sævitiam maximè invehitur *Lactantius* lib. V. Institut. cap. 11. *In cineres furiunt*, inquit, *ne quis extet sepulturæ locus. Quasi verò id affectent, qui Deum confitentur, ut ad eorum sepulcra vematur, ac non*

ac non ut ipsi ad Deum perveniant. Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ insania est, lucem vivis, terram mortuis denegare? Cæterum uti in ignominiam & pœnam sæpè sepulturâ prohibebantur mortui, ita contrà solebant interdum propter atrocia facinora vivi in terram defodi. Sic Core, Dathan & Abiram, qvi maledica in Mosen ora aperuerant, vivi terræ rictu atqve hiatu deglutiebantur, Num. XVI, 30. 33. *Descenderunt ipsi & qvidqvid ad eos pertinebat*; qvæ verba omisit Vulgatus interpres *vivi Scheolah, operti humo*, i.e. inqvit Estius in h.l. *vivi in terram descenderunt, & terrâ operti sunt qvasi vivi sepulti.* Sed non tantum in sepulchrum, sed etiam in infernum descenderunt, utpote non temporalibus duntaxat, sed etiam æternis affligendi pœnis. Sic Virgines Vestales, si eas temerari contigisset, hoc supplicio, tanqvam αἰκίσῳ & miserabilissimo fuisse mulctatas, literis proditum est. Nam in campo scelerato vivas apud Romanos sepultas fuisse, legimus apud *Plutarchum* in Num. Pomp. Et ex *Constitut. Crim. Caroli 131.* eidem pœnæ subjiciendi sunt infanticidæ. Exhumari verò, nescio annon intolerabilius dedecus, quàm inhumatum relinqvi? *Pœna gravissima*, inqvit supra citatus *Tholosanus* Syntagm. Jur. Univers. lib. XXXIII. cap. 23. n. 32. *habita sacrilegii & proditionis in Attica, non sepeliri ex lege apud Xenophontem lib. 1.* ἑλλην. *Cujus & meminit Æmilius Probus in Themistoclis vita. Et pro pœna atrociori eruere ex sepulchro ossa.* Exhumationis exemplum habemus in Sacris & qvidem in Historia Regum, ubi Josias, religiosissimus Deoq; charissimq Rex facinorosorum sacerdotum ossa, sepulchris refossa flammis perdidit IV. Reg. XXIII, 16. In historiis profanis de Sylla Dictatore dicitur, qvod Caji Marii ossa eruta in fluvium mergi jusserit, moriens se cremari voluerit, veritus talionem, ne idem ludibrium ab hoste cadaver ejus pateretur. Vide *Plinium* Nat. Hist. lib. VII. cap. 54. Non possum silentio premere tyrannidem Papalem, qvâ reliqvias eorum, qvi è Romanâ Synagogâ exierunt, vel sepulcris inferri prohibent, vel illata ex iisdem erui & igne absumi vel in carnificinis, colluviariis, aliisqve infamibus locis sepeliri curant. Sic Cardinalis Polus (Poli hostis & oppugnator) cadavera Martini Buceri & Pauli Fagii Cantabrigiæ de sepulchris effodi & publicè cremari jussit, ut ex historia Buceri & Fagii à Balæo descripta constat. Idem Polus Petri Martyris

WBP Opole

tyris uxoris corpus Oxoniæ sepultum erui & in sterqvilinium abjici jussit. *Jos. Simler. Orat. de vita & obitu B. Martyris.* Eodem modo in Johannis Wickleff, Oxoniensis Theologi, qvi calamum in Pontificiam tyrannidem & Romanam Curiam strinxerat, ossa sævitum fuit, ea enim anno post mortem viri 41. Senensis Concilii mandato exhumata atqve exusta; Sed

Nihil agis hac ira, tabesne cadavera salvat,
Aut rogus, haud refert, placido Natura receptat
Cuncta sinu. Lucan. 7.

CAPUT V.

Funeris elationem antecedentia exhibens.

ENarraturus, qvæ domi Defunctorum corporibus adhiberi, & Funeris ἐκφοράν seu ductionem antegredi consueta priscis seculis, non persequar pluribus, qvæ morientibus sunt exhibita, qvomodo videl. illos, qvi jam in extremâ vitæ tegulâ constituti, qvorumqve anima in summo qvasi ore versari & ad exitum festinare videbatur, sanguine proximi, & cæteri sui, qvi præsentes erant, amplecti & osculari *fuerint soliti, donec animam* exhalarent, qvemadmodum *Jacobum Patriarcham* in complexu & osculis *Josephi*, patriæ senectæ cultoris ad exemplum egregii, Gen. L, 1. & *Augustum Cæsarem* in osculis *Liviæ* defeciſſe, apud *Svetonium* in vita ejus legimus; (oscula autem morientibus dare prisco more usurpatum est, partim, qvia, ut peregrè abeuntes, sic qvoqve ex hac vita emigrantes osculo dimittendos esse censebant, partim qvia exeuntem anima hoc modo excipere appositio hiatu, & in se transferre se posse, stulta credebat Gentilitas. Vide *Alexandrum ab Alexandro & Tiraqvelli* in eundem annotat. Genial. Dier. Lib. III. cap. 7. itemqve *Kirchmann.* de F. R. Lib. I. c. 5.) Qvomodo morientium digitis annulos detraxerint, unde *Plinius* lib. XXXIII. cap. I. circa finem; *Gravatis somno*, inqvit, *aut morientibus religione qvadam annuli detrahuntur*; aut, (qvæ Judæis erant peculiaria) eorum pollices eo artificio in volam depresserint, ut pugni rugæ cognomentum Dei שדי (qvod *Omnipotentem* significat,) Gen. XVII. pulchrè repræsentent, ut ex authore ritualis libri *Minhagim*

hagim cap. ult. refert *Wilh. Schickardus* in Jure Regio Hebræorum cap. VI. Theor. XIX. & à morituris Legis volumen, neimmundæ rei præsentia idipsum pollueret, removerint, ut *idem* docet *loco citato*. Qvomodo deniq; ægroto ultimum singultiente & animam exhalante adstantes vestes suas laceraverint, de qvo ritu videatur Doctissimus Christianorum Rabbi *Buxtorfius*, Synag. Judaicæ c. XXXV. & *Schickardus* loco jam dicto. A Lotione autem, qvæ jam vitâ functis adhiberi consvevit, ordiar. Oculis enim demortui compressis (qvod officium præstiterunt invicem cognati, vid. uxores maritis, mariti uxoribus, parentes liberis, & vice versâ liberi parentibus amici amicis. De Lege Meniâ, ne filii parentum comprimerent oculos, vide *Kornmannum* de mirac. mort. part. VII. c. 9. præstitit verò id officii patri Jacobo Filius Josephus Gen. XLVI, 4. soceriſqve suis Tobias junior Tob. XIV, 14. item apud *Homerum* Odyss. 24. v. 293. marito Penelope, τὸ γὰρ γέρας ὅδι θανόντων, *hic enim honos mortuorum*, additur ibidem) ore decenter compositio, membrisqve cæteris ad pristinam & naturalem corporis formam reductis, lavari solebat corpus examine, fortè ut unctioni mox secuturæ aptius foret. Hic ritus priscis *Romanis*, ut pleriqve alii, cum *Græcis* erat communis. Qvod longâ exemplorum serie probare supervacaneum esse puto, neqve enim opus in re tàm levi adeoqve manifestâ multis verbis. *Dardanis*, qvorum regio Macedoniæ erat contermina, maximè solemnis fuit hujusmodi Lotio, qvod *Ælianus* refert lib. IV. Variæ Histor. cap. I. ὅτι Δαρδανεῖς, τοὺς ὑπὸ Ἰλλυριῶν ἀπάντων τρὶς λούεσθαι μόνον ἐπὶ παντὶ τῷ ἑαυτῶν βίῳ, ἐξ ὠδίνων καὶ γαμήσαντας καὶ ἀποθανόντας. *Dardanenses Illyricos ter tantum lavari audio per universam vitam, & post partum, & cum nuptias inirent, & post mortem*, R. *Moses Ben Maimon* (qui à suis primis literarum notis. רמבם *Rambam*, & ob insignem eruditionem, qua polluit נשר הגדול *aqvila magna* vocatur, teste *Schickardo*, qviqve vulgato hoc dicto à Judæis celebratur; A *Mose* (Legislatore) usqve ad *Mosen* (Maymonidem) non fuit sicut *Moses*) prolixè satis & accuratè describit morem circa sepulturam apud Judæos, Volumine II. sui operis, cujus frons est *Maimoni. In tractatu de luctu cap. 4. §. 1.* inter alia & lotionis meminit; accipe verborum ejus sententiam; *Mos vel consvetudo est in Israel circa*

mortuos, & eorum sepulturam, ut, cum qvis mortuus est, ejus oculos occludant, & si os ipsius fuerit apertum, aut hians, *maxillas ejus ligent* (astringebatur inferior maxilla, tenui fascia ad verticem,) *ne iterum aperiatur. Obturatur etiam locus, per qvem excrementa ejiciuntur, sed hoc postqvam corpus fuerit LOTUM.* Idem testatur antelaudatus *Joh. Buxtorfius* loc. all. *Aqvâ calidâ,* inqvit, *studiosè abluitur mortuus, ut purus & mundus sit, qvum peccatorum ratio reddenda erit. Ovum insuper acceptum cum vino agitantes permiscent, & capiti illius illinunt.* Liber Minhagim c. ult. man ist das meth (todte) metaher (saubernd) dieweil er soll Din (Rechenschafft) geben vor dem Bore (Schöpffer) daß er soll gesaubert seyn. Christi Salvatoris nostri sanctissimi & immaculati illius agni corpus post mortem non modò unctum, sed & ablutum fuisse, ex antiqvis docet *Joh. Chrysostomus,* totius Orbis terrarum Doctor, ut est apud *Theodoretum,* Græcorumqve Patrum, qvorum hodiè extant lucubrationes, πολυγραφώτατος, Homil. 84. in Joann. *Mihi videtur nobilissimum fuisse Joseph, qvod ex sepulchro constat, & Pilato erat notus, qvare impetravit & sepelivit JESUM, non ut reum, sed magnificè, secundum Judæorum consvetudinem &c. Cum autem tempore urgerentur; horâ enim nona mortuus fuerat, & dum peteret eum à Pilato, & dum LAVARENT, jam vespera adventârat.* Idem ex recentioribus docet *Alphonsus Salmeron,* unus ex X. Jesuitis primis & Colloeutor in Concilio Tridentino, Tom. 10. ubi de Sepultura Christi. *Epiphanius,* qvi hæreticis ab Origine Ecclesiæ ad sua usqve tempora recensendis incubuit, Homilia de Sepultura Domini Josephum ab Arimathia ita affatur; *Anne aqvâ Dei illius corpus abluis, qvi omnes à peccatis abluit & expiavit, omnibusq; puritatem tribuit?* Balduinum Hierosolymorum Regem ad Flandros suos ex Palæstina pretiosas & mundas sordes ex abluto corpore mortui Christi existentes per Abbatem S. Bertini misisse credulo populo persvadet *Lorinus* in Cap. IX. Actor. v. 37. Cæterum feralem hanc lotionem in primitiva Ecclesia etiam fuisse usitatam, ex jam dictis Apostolorum Actis cap. IX, 37. liqvet. *Factum est autem in diebus illis, ut infirmata* (Tabitha) *moreretur, qvam cum lavissent, posuerunt eam in cœnaculo. Dionysius Alexandrinus* S. Cypriani æqvalis & Origenis discipulus ceremonias in Christianorum

anorum Funeribus usitatas studiosè recenset apud *Eusebium* lib. 7. Histor. Eccl. cap. 17. *Sanctorum corpora manibus erectis, supinisqve excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadavera, decenter ornare, illis adhærescere, amicè complecti, lavare accuratè & linteo funebri involvere non gravati sunt.* Hæc ille. *Lorinus* in Actuum Apostolorum cap. IX. v. 37. & *Jacobus Gretserus* de Funere Christiano lib. I. cap. I. Morem hunc abluendi defunctorum corpora inter alia probant ex *S. Gregorii* Dialogis, qvi aliàs qvoqve passim à Pontificiis pro Purgatorio & Invocatione Sanctorum citantur, sed Dialogos hosce suppositititios esse, & S. Gregorii nomine indignos, prolixè probat *Robertus Cocus,* Censur. Scriptorum Vet. in Gregorio M. Alexium Imp. ab omnibus ferè ministris adeò desertum esse, *Zonaras* scribit, ut fermè nulli fuerint, qvi cadaver ipsius postremis lavacris purgârint; ut referunt *Centuriatores Magdeburgenses* insignis operis sui, & qvale pristina ætas nunqvam viderat, Centur. XI. cap. 6. Ipsum autem hoc lotionis munus plerumqve obibant mulieres; qvæ peculiari nomine *Funeræ* dicebantur apud Romanos, unde versus in Ennianus; *Tarquinii corpus bona fœmina lavit & unxit.* Alludit eôdem in Platonis Phædone Socrates cicutæ poculum hausturus; *Ac fortasse jam tempus est eundi in lavacrum. Nam mihi qvidem consultius videtur, me prius lavari, qvàm bibam venenum: nec mulieribus negotium facessere, ut mortuum lavent.* Idem apud Christianos qvoqve obtinuit. Lotionem insequitur *Unctio & Conditura,* ungventorum usu invalescente, Romanis pariter & Græcis familiaris. *Postea* Ungventi *voluptas à* Romanis *inter laudatissima atq; etiam honestissima vitæ bona admissa est; Honosq; is & ad defunctos pertinere cœpit,* inqvit *Plinius* N. H. lib. XII. cap. 1. In eo verò hallucinari ibidem Naturæ Bibliothecarium, ostendit *Kirchmannus* de Fun. Rom. lib. I. cap. 7. qvod à Persis primùm ab Alexandro Magno devictis usum ungventorum ad Romanos, Græcosqve transiisse scribat, cum longè ante Darium devictum ungventa vel in ipsa funeratione à Romanis fuerunt usurpata, qvod ex L. XII. Tab. servilem unctura prohibentibus colligi omninò potest. *Alphonsus Salmeron* Jesuita Tractatu XLIX. de Sepultura Christi p. 402. dicit, *Romanos ejusmodi odoramentis & aromatibus eos solos efferre consveviss e, qvos in*

Deorum numerum referre voluerint. Qvod mihi non fit verisimile. *Athenæus* Græcorum Varro aut Plinius (juxta *Casaubonum* Ep. ad Lector. super animadvers. in Ath.) autor est lib. XV. Priscos Græcos adeò fuisse ungventorum studiosos, ut exploratum haberent, ecqvod ungventum cuiqve membro humani corpotis esset accommodatum. Qvi Romæ odoribus & ungventis mortuorum corpora obliniendi ministerio fungebantur, *Pollinctores* dicebantur, cur & unde, nec dum inter doctos convenit. Erant autem servi *Libitinariorum* (à Libitinâ Deâ, in cujus æde asservabantur, qvæ ad instructionem funebrium pomparum erant necessaria, sic dictorum) qvi qvicqvid ad exseqviarum apparatum pertinebat, locare aut vendere & operam suam illis, qvorum erat funus mortui curare, elocare solebant. Vide *Valerium Maximum* lib. V. cap. 2. Hinc *Ulpianus* Juris auctor l. V. ff. De Instit. Action. *Si Libitinarius, qvos Græcè νεκροδάπτας vocant, servum Pollinctorem habuerit, isq; mortuum spoliaverit &c.* Hic ritus ungendi mortuos Ægyptiis fuit familiarissimus. *Ægyptiis mos est*, inqvit *Plinius* N. H. lib. II, cap. 37. *cadavera adservare medicata*, i.e. uncta & condita aromatibus. Idem *Tullius I.* Tuscul. *Mortuos Ægyptii condiunt, & eos domi servant.* Etiam adhuc hodiè ad nos ex Ægypto adferuntur corporum condituræ sive condita corpora, qvæ in officinis *Mumiæ* appellantur. *Est* enim *Mumia in subst antiâ humidum ille succus & virtus hominis, Aloe, Myrrhâ, Pissalphalto uncti & illiti & interius expleti, imò etiam optimo croco, itemq; nobilissimo & vero balsamo, sive ejus vice oleo de Cedro perunctâ, ita ut non solum perunctâ ista caro & ossa sunt vera Mumia, ut vulgò creditum est, sed aromaticus ille balsamicus succus, sangvis & virtus simul vera Mumia sit, & vocetur, & est secundùm omnium medicorum consensum & sententiam Diacatholicon, ad multos & varios morbos.* Ita *Joachim. Struppius* in Consensu Medicorum de verâ Mumiâ. Aromatibus condiverunt Medici Ægyptii, qvos LXX. Senes ἐνταφιαστὰς aptissimo vocabulo vocant, demortuum Israelem jussu Josephi Gen. L, 2. 3. ipsumqve Josephum magnum Ægypti Prorege, Extremâ Genesi. *Ben. Pererius* ad prædictum caput num. 2. *Circa illud*, ait, *ut aromatibus condirent Patrem, monendus est Lector, qvomodo hic dicitur Jacob & Joseph fuisse aromatibus conditos, eo modo neminem legi in Scriptura V. Testamenti*

stamenti fidelium & cultorum DEI fuisse conditum ac sepultum, nec ante Jacob & Joseph, nec post eos usq; ad Asa Regem Juda, qvem traditur lib. 2. Paral. cap. XVI. post mortem positum esse super lectum suum plenum aromatibus & ungventis &c. Idem observat *Lorinus* in Act. Apost. cap. IX, 37. *De Josephi cadavere, mirum aliud referunt* (Rabbini) inqvit *Schickardus* de Jure Reg. Hebr. cap. VI. *fuisse id fumo tostum & in aqvis Nili contra putredinem diutissimè asservatum, donec universus populus ex Ægypto egressus id secum in terram Canaan asportârit.* Vetustissimus Græcos inter Historicos, qvi hodiè extant, *Herodotus, historiæ parens*, (ut eum appellat *Cicero* I. de Legib.) qvi ante natum Christum 420. annis claruit, eo videl. tempore, qvo Esdras & Nehemias Rempubl. Judaicam instaurarunt, modum condiendi Ægyptiacum accuratè describit medio libro secundo, potissima hæc sunt; Apud Ægyptios homines certi sunt ad hoc ipsum constituti, qvi illis, (qvi optimè & sumptuosè condiri voluerunt) ferro incurvo, per nares cerebrum educunt, ejusqve locum medicamentis & odoribus explent: dehinc acutissimo lapide Æthiopico illa conscissa & alvum omnem extrahunt, qvam post repurgationem iterum in sedes suas reponunt ac infarctis odoribus consuunt. Postea saliunt intrò abditum septuaginta dies. His exactis cadaver abluunt, sindone totum involvunt gummi illinentes & in ligneam hominis effigiem ad hoc factam includunt atqve ita reponunt. *Diodorus Siculus*, qvi inter Græcos nugari desiit (teste *Plinio* in præfat. H.N.) lib I. Biblioth. num. XCI. in hunc modum Ægyptiorum condituram describit; *Qvamprimùm ad secti cadaveris curationem convenêre* (Taricheutæ sive qvi cadavera condiunt) *unus per hiatum manu ad præcordia immersa, quicquid intestinorum est præter cor & renes extrahit. Alius alvum cum viscer ibus singulis repurgatam, vino palmeo, aromaticiq; odoribus perluit. Lotum deinqve cadaver ad dies plures XXX. ungvento primùm cedrino, aliisq; delibutum reddunt. Myrrha deinde ac cinamomo aliisqve non longiori tantùm conservationi, sed etiam fragrantiæ aptis conditum propinqvis reddunt.* De hodierno Ægyptiorum more, qvomodo latus demortui aperiant, cor renesqve extracta vino Phœnicio odorifero lavent, postea 30. amplius dies cedro aliisqve ungventis pretiosis ungant &c. Vide *Joh. Boem.* lib. I. de Afric. c. 5. & *Fu-*

rerus

rerus itin. ter. S. p. 25. item *Schweigger.* itin. ter. S. p. 274. Morem hunc condiendi defunctorum corpora aromaticis ungventis, aut certè aliqvid ejus Israelitæ secum ex Ægypto Palæstinæ intulisse videntur. Hinc *Moses Maimonides*, Doctor Hebræorum maximus, juxta *Heinsium* in Aristarch. p. 415. supra citatis verbis subjungit; *ex diversis aromatum speciebus ungitur.* Idem docet experientia, cujus testis Historia Sacra; Sic enim de funere Regis Asæ dicitur 2. Paral. XVI, 14. qvod posuerint eum super lectum suum plenum aromatibus & ungventis. Sic qvoqve Mariam, qvam Chrysostomus μαθήτριαν appellat, Salvatorem unxit ante passionem ungvento pretiosissimo sive moris sive honoris ergò. Hinc Christus idoneam inde Mortis & sepulturæ suæ prædicandæ occasionem arripiens, ait apud Triadem Evangelistarum, Matth. XXVI, 10. *Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. v. 12. Mittens enim hoc ungventum in corpus meum πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με, ad funerandum me fecit,* Marc. XIV, 8. *Qvod habuit, ipsa fecit, anteverterit ungvento linere corpus meum εἰς τὸν ἐνταφιασμὸν, ad funerationem.* Et Joh. XII, 3. *cum Maria acceptâ librâ ungventi nardi pretiosi unxit pedes Jesu v. 7. Sine eam*, dicit obmurmuranti Judæ, εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου, *in diem pollincturæ meæ servavit illud.* Est autem ἐνταφιάζειν, ad sepulturam parare, unde ἐνταφιαστὴς, *qvi id agit*, (interprete Augustino lib. I. Locutionum Tom. 3.) *qvod exhibetur corporibus humandis vel condiendo, vel siccando, vel involvendo & alligando: in qvo opere maximè Ægyptiorum cura excellit.* ἐνταφιασμὸς in Lexico veteri Græco-Latino exponitur *Pollinctum* seu *Funeratio.* Propriè tamen & verè (uti ex Budæo annotat Stephanus) ἐνταφιασμὸς dicitur, qvum corpus mortuum τοῖς ἐνταφίοις, subaudi ὀθονίοις, h. e. linteis suis sepulcralibus involutum & obvinctum, sepulchro mox condendum præparatur. Etenim qvoniam istud de more fiebat additis ungventis aromaticis, hinc ἐνταφιασμὸς etiam pro ipsa sumitur unctione seu pollinctura, ut annotat *Fullerus* Miscell. Lib. VI. cap. 28. Fuit ergò hæc unctio per anticipationem funebris & sepulchralis ex ipsa Christi sententia. *Eucherius* Lugdunensis Episcopus Homil. in versum 2. cap. XXVI. Matthæi sic scribit; *Significatio est, non perditio, in proximo passurus sum, ideoqve mulier hoc ungventum mihi attulit ad sepeliendum. Mos enim antiquitùs fuit, ut nobilium corpora sepelienda ungerentur & cum aromatibus sepelirentur.* Nobilium, inquit, corpora, neque enim ad quosvis pertinebat hic honor, non ad hominem conditionis humilis, quem Græci κοσπεδίτην vocant, quasi ultima loca semper occupantem. Exprimitur autem apud Marcum & Johannem unguentum Nardinum, *quod magni tùm fuisse pretii*, inquit ætatis suæ decus *Casaubonus* Exercitat. XIV. num. XIII. *quia illis temporibus unica fuit urbs Laodicea, quæ unguentum hujusmodi cum laude conficeret. Nec multò ante Galeni tempora in aliis etiam urbibus cepit fieri, quod commendaretur.* Nardum verò πιστικὴν appellatum censet Theophylactus, quasi ἄδολον καὶ μὴ πίστεως κατασκευαθεῖσαν, *sinceram, incorruptam, fideliter præparatam.* Unctura hanc feralem in ipsa Domini sepultura servatam esse, testis est Evangelista Theologus cap. XIX, 40 ubi Josepho de Arimathæa supervenisse narrat Nicodemum ferentem mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum. *Acceperunt ergò corpus Jesu & ligaverunt illud in linteis cum aromatibus,* (unctum aromatibus.) Et ne quis inusitatum hoc fuisse crederet, addit, καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις ἐνταφιάζειν, *sicut mos est Judæis sepelire.* Augustinus tract. 120. in Joh. inquit; *Non mihi videtur Evangelista frustra dicere voluisse*, sicut mos est Judæis sepelire; *Ita quippe, nisi fallor, admonuit, in hujusmodi officiis, qua mortuis exhibentur, morem cujusq; gentis esse servandum.* Aromata autem, quæ ad unctura fuere usurpata, revocat Evang. Johannes ad duas species, ad *myrrham* sc. & *aloën*, utpote sumptuosiores & in hac mixtura dominantes, ut observat *B. Gerhardus* Harmon. Evangel. Passion. Dom. cap. XIX. p. 915. *Lacryma myrrhæ & herba aloë, ut sunt amarissimi succi, ita vim habent resistendi vermibus & putredini*, inquit *Chrysostomus.* Alias enim species etiam adhiberi solitas fuisse docet *Schindlerus* in Lex. Pentagl. in voce חֲנֻטִּים ubi addit, *condivit aromatibus, myrrhâ, aloë, cedromelle, sale, cera, bitumine & resina corpora mortuorum, ut incorrupta maneant, & asserventur in loculis, nec fœteant: sicut Judæi & Ægyptii faciebant.* Quanquam verò morem admovendi aromata cadaveribus ab Ægyptiis Hebræi mutuati sint, ut ex Gen. L. cap. non obscurè intelligitur, modus tamen ipse condiendi mortuos fuit diversus. Ægyptiorum

rum enim conditura intrinsecus fiebat exenterato ventre seu exemptis illis sordium & humorum receptaculis & cerebro per nares extracto, ut supra docuit *Herodotus*. Atque hoc παρχεύειν Græci dixerunt. Judæi verò extrinsecus corpori applicabant unguenta & aromata, dein fasciis involvebant, ut ex sequentibus patebit. Videatur ante laudatus *Isaac Causabonus*, Exerc. XVII. num. CXII. & *B. Gerhardus*, Harmon. Evangel. Passion. Dom. cap. citat. Ungendi cadavera consuetudo postea à Judæis transiit ad Christianos, quod Prisci Scriptores Ecclesiastici multis suorum scriptorum locis firmant. Aromata, thus, aliasque id genus Arabum merces Christianos funeribus suis adhibuisse, author est *Tertullianus*, Latinorum Patrum, quos habemus, antiquissimus, Apologetici cap. XLII. & lib. de Resurr. Carnis, ubi inquit, *Proinde enim & corpora medicata condimentis sepultura mausoléis* (sepulcra regum sic vocant,) *& monumentis sequestrantur*. Unde & lib. de Idololatria, aromata *ad solatia sepulturæ usui esse*, dicit. Tertullianum Afrum subsequatur *Minutius Felix*, Causidicus Romanus, Tertulliani æqualis, apud quem inter crimina Christianis objicitur; *Non Floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis, reservatis unguenta Funeribus*. Latinos excipiat *Clemens Alexandrinus*, Græcus, lib. II. Pædagog. cap. VIII. *Nimiæ ungventorum unctiones, justa quæ fiunt mortuis potius, quàm familiarem vitæ consvetudinem redolent*. De funere Justiniani Imper. qui immensa Veteris prudentiæ volumina coadunavit in uno, suo præfulgente nomine, ut ipse loquitur, sic canit *Corippus* lib. III.

Thura Sabæa cremant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris & odoro balsama succo,
Centum aliæ species, ungventaq; mira feruntur,
Tempus in æternum sacrum servantia corpus.

Alluśit eò *Prudentius*, qui *Amœnus* cognominatus est, quod omnium Christianorum Poëtarum amœnitate & varietate Lyricorum Carminum longè sit Princeps (elogio *C. Barthij* lib. VI. Adv. c. 1.) Hymno ad exequias Defunctorum his versiculis:

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est,
Aspersaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine servat.

Nota finem unctionis feralis, videl. ut cadaver quàm diutissimè incorruptum & putredinis expers servaretur.

retur. *Donatus* in 6. Æneid. rationem hanc adsignat, ut celeriùs flammam conciperet, quæ causa non habet locum apud eos, qui corpora non cremabant. Ungi etiam solebat liquore nobili ac πολυτίμῳ cadaver & cum illo pretiosa quoq; aromata cremari, in funere maximè nobilium, ad opprimendum molestum halitum, quem ex se caro examinata reddit. Sed *Quæcunq;* (verba sunt *Lorini* in cap. IX. Actuum Apost. v. 37.) *Gentiles impulerit* (*apud quos delubra teste Asconio in Divin. dicebantur, in quibus essent labra corporum abluendorum mortuorum*) *haud dubium, quin pij amorem ergà defunctos, & Resurrectionis spem omni hoc adhibendo circa illos cultu declarare velint*. Triplex ergò unctionis aut condituræ corporum causa datur, 1. *Physica*, ut putredo & fœtor à corpore diutius arceretur. 2. *Civilis*, quia hic honos inprimis honoratis viris exhibebatur. 3. *Mystica*, ut sc. esset testificatio Fidei de resurrectione corporum, & symbolum ἀφθαρσίας seu incorruptibilitatis futuræ. Ut autem finis iste, conservatio scil. cadaverum à corruptione obtineri possit, illa potissimùm ungventa, aliaque plurima sunt adhibita, quæ vi hac præservatrice erant prædita. Myrrha inprimis & aloë corporibus condiendis adhibebantur, quod exsiccent, humiditates absumant, & amaritudine suâ vermibus & putredini resistant, unde & inter munera à Magis Jesulo oblata, *myrrheus pulvis sepulchrum prædocet*, ut loquitur jam laudatus divinus ille Pindarus, *Prudentius*, Hymno de Epiphania. Eam ob causam etiam in melle Babylonios cadavera sua condiisse credo, quod memoriæ prodit *Herodotus* lib. I. Alexandrum Magnum quoque hoc modo conditum Historici tradunt, ut scil. integer & incorruptus servari posset. Mellis enim natura talis est, ut putrescere corpora non sinat, teste *Plinio* lib. XXII. cap. 24. quæ Medicis discutienda relinquo, ne ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα posuisse videar. Persæ cerâ mortuos oblinebant, quod præter *Herodotum* lib. I. & *Strabonem* Lib. 15. *Cicero* I. Tuscul. affirmat. *Persæ*, inquit, *jam cera circumlitos condiunt, ut quàm maximè permaneant diuturna corpora*. Idipsum Scythis quoque tribuit jam dictus *Herodotus* lib. IV. Vide *Magium* in Necrotaphologia. *Cornelius Nepos*, aut veriùs *Æmilius Probus* de Agesilao ait; amicos Agesilaum vitâ defunctum, quo ex portu, qui Menelai vocatur, inter Cyrenas & Ægyptum, Spartam faciliùs perferre possent, cùm mel non habe-

haberent, cerâ circumfudisse atque ita domum retulisse. Gypso Æthiopes induxisse suos mortuos jam arefactos, autor est sæpe citatus *Herodotus* lib. III. Et hanc ob causam etiam, scil. ut cadaver diu incorruptum servaretur, quandoque corpora exenterabant, ut exemptis illis sordium & humorum receptaculis ab omni putredine remotiora & securiora evaderent, quod & hodiè in imperatorum, Regum ac Principum cadaveribus obtinet. Ubi observatu dignum, quod de Maximiliano I. Imper. Historici referunt, qui testamento cavit, ut corpus suum sine ullâ exenteratione terræ mandarent, & loco Aromatum, vivam calcem adhiberent, ut corpus putredine natum, ea quoque consumente materiâ citius in terram suam verteretur. Sed de unctura plus satis. Dicendum nunc de vestibus sepulcralibus. Sepeliendos integebant vestibus non Græci solùm, ut Lacedæmones & Athenienses, sed etiam Romani & quidem vestibus cujusvis statui convenientibus. De Græcis inquit primus apud illos eruditionis parens, *Homerus* Iliad. Σ. de Patrocli funere:

Ἐν λεχέεσσι δὲ θέντες ἑαυτῷ λιπὶ κάλυψαν,
Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς. Καθύπερθε δὲ φάρεϊ λευκῷ.

In lectum autem imponentes linteo subtili texerunt,
Ad pedes à capite: desuper autem albâ veste.

Apud Lacedæmones verò honoratiores ἐν πορφύρᾳ, ἐν φοινικίδι, in purpurea sive in punicea veste elatos legimus apud *Plutarchum* Νομιμ. λάκων. Hinc *Alexander Sardus* de moribus & ritibus Gentium Lib. I. cap. 25. *Lacedæmones*, inquit, *mortuos, qui fortiter aliquid fecissent in re militari, puniceo amictu tegunt, olivæ foliis circumpositis.* Magnam Italiæ partem defunctos togâ involvisse, testis est *Juvenalis*, juxta *J. C. Scaligerum* lib. VI. Poeticæs cap. 6. Satyrorum facilè princeps Satyr. 3. Toga autem (cujus inventorem Græci Tebennum Arcadem prædicant, qui primus id genus vestis gesserit, & Italiæ intulerit, *Turnebus* Adverss. lib. VII. cap. 20.) communissima erat candida, in vulgo civium & funeribus tacitis. Ditiores verò & qui virtute sibi honorem quæsiverant, in pretiosâ & honestissima veste efferebantur. Qui Magistratum publicè gesserant, toga prætextata, censores purpureâ, Thriumphales auro intextâ induebantur, ut docet *Polybius*, rebus gestis, non modò scriptis disertissimis clarissimus lib. VI, hinc Kornmannus de Miraculis Mortuorum part. VII. cap. 31. inquit; *Apud Italos, more hodierno usitatum est, & olim fuit, Cadavera defunctorum pretiosissimis vestibus induta & lectis splendidè exornatis imposita palam publicè efferre, ita ut unusquisq; defuncti faciem & ex vestibus & ornatu sexum noscere possit.* De cætero coronare mortuos Græcis in usu fuit, unde Hercules apud *Euripidem*; *Quid hoc rei? video liberos meos ante domum coronatos capita, mortuorum ritu.* Coronâ virtute in vitâ partâ mortuus etiam condecorabatur apud Romanos permissu Legis XII. Tabul. ut est apud *Plinium* Lib. XXI. c. 3. & *Cicer.* II. de Legibus. Ipsumque corpus defuncti lectusque, quo efferendus erat, suaveolentibus floribus & corollis herbisq; odoratis aspergebatur. Venio ad Judæos, de quibus ita pergit supra allegatus *Moses Ægyptius* Hal. Efel. cap. 4. ex interpretatione Schickardi de Jure Regio Hebræor. cap. VI. *Abradunt pilos corporis, mox vestiunt involucris candido filo lineo consutis, neq; pretiosis. Solent Sapientes adhibere sudarium, non plus denario constans, ne pudefaciant tenuiores, quibus est res angusta domi. Eadem de causâ tegunt faciem defuncti, ne prostituantur pauperiores, quorum famelici vultus ob alimenti penuriam, plerumq; sunt deformiores.* Lex autem erat sumptuaria, quâ modus est impositus impensis apud Judæos fieri solitis circa vestes, quibus mortuos involvebant, lexque hæc obstringebat omnes, etiamsi quis חכשיא esset (princeps & caput Synedrij, ut interpretatur *Casaubonus* Exercit. XVI. num. CI. & *Drusius* Præterit. bil. I. ad Matth. cap. XXVI, 8.) hinc porrò pergit Maimon. *Nefas est sepelire* (aliquem) *indumentis holosericis, vestibusvè deauratis vel acu pictis etiam Principem Israel* (non puto Regem) *quoniam hoc arguit fastum animi, estq; prodiga perditio & mos Ethnicus.* Sindone ergò involvebant mortuos suos Judæi, quæ Sindones sepulchrales Rabbinis dicuntur תַּכְרִיכֵי הַמֵּת *involucra mortuorum* à radice כָּרַךְ *involvit, velavit*, fiebantque ordinariè ex lino subtiliore. In eam sententiam loquitur *Buxtorfius* Synagogæ Judaicæ cap. XXXV. *Albam deinde illi lineam tunicam induunt, & quidem vulgò eam, quam Expiationis die induere solitus emt, & ita in pheretrum recondunt. Antiquissimæ enim hoc apud ipsos est consvetudinis.* לקבור בבגדים לבנים *in vestimentis albis tumulo mortuos mandare. Pretiosis verò vestimentis aliis ne quidem principem in Israele sepe-*

le ſepelire licet. Idem ex ſepulturæ Dominicæ deſcriptione clarum eſt; In ea enim Sindone mundâ, Salvatorem involutum fuiſſe legimus, quam hodie Taurini in Pedemontio religiosè ſervari, ſcribit *Cornel. à Lapide* ad Cap. XIX. Joh. ad verſic. 39. Hinc inquit *Salmaſius* apud Th. Barthol. de latere Chriſti apertô pag. 377. ſeqq. parvò linteô involutum fuiſſe caput Salvatoris, toto interim corpore faſciis religato à pedibus usque ad fauces, inſtar infantis faſciis incluſi. Deinde ſudario faciem obtegebant Judæi, ut colligitur ex Johannis XX, 7. Sudarium Chriſti Nicææ, Aquis in Germania, Trajecti & Veſontij, Gadonii, Lemovii in Lotharingia & Romæ in Veſtalium aliquo Monaſterio devotè à plebe honoratur, ut docet *liber de ſpoliis, exuviis & reliquiis Sanctorum*, qui extat in Lectionibus memorabilibus *Wolffii* Gent. XVI. p. 233. Pedes autem & manus colligabant κειρίαις, *inſtitis*, ut ex hiſtoria *Lazari* Joh. XI, 44. videre eſt, qui ut erat adhuc funereis & ſepulcralibus faſciis obſtrictus, prodiit; Ita enim Evangeliſta: *Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies ejus ſudario erat ligata.* Cæterum *Dicit eis Jeſus: Solvite eum, & ſinite abire.* Idem hoc innuit *Prudentius* in Apotheoſi:

Solvite jam lata redolentia vincla ſorores,
Solus odor ſparſi ſpiramen aromatis efflat.

Et ita in Chriſtianorum monumentis Lazarum effigiatum videmus more infantium involutum. Et cum Johannes cap. XIX, 40. expreſsè dicat, καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις, ſive ut alii legunt, ἐν ὀθονίοις *ligarunt* illud (Paraphraſtes Syrus vertit *involverunt*, q. d. contraxerunt, ſive in anguſtum collegerunt corporis mortui membra, vinciendo eadem multiplicibus linteorum ſepulcralium voluminibus, atque hæc à Græcis κειρίαι propriè vocantur, Faſciæ à Latinis, ut notat *Nicol. Fullerus* loco ſupra citato p. m. 166.) *in linteis* ſive *linteaminibus*, hinc apparet, etiam faſcias ſepulcrales ſeu inſtitas adhibitas fuiſſe in funerando corpore Chriſti, neq; n. vel linteis vel ſudario corpus & caput Chriſti commodè velari & obnubi potuiſſent, niſi vinculorum interventu. Quanquam Chriſtianos ſolo linteamine obvolviſſe ſuorum cadavera legimus, ut apud *Euſebium* lib. VII. cap. 17. quò alludit jam dicti ſanctiſſimi Poëtæ hymnus; *Candore nitentia claro*
prætendere linteа mos eſt. Et locupletiſ-

pletiſſimus teſtis eſt Eccleſiæ Doctor, *Hieronymus*, de muliere ſepties percuſſa ad Innocentium ſcribens Epiſt. 49. *Clerici, quibus id officii erat, cruentum linteo cadaver obvolvunt & foſſam humum lapidibus conſtruentes ex more tumulum parant.* (Ubi obiter nota, Clericorum antiquitùs, cum Tyranni ſub ſignis merentes Principis hujus mundi, Chriſtianam Eccleſiam perſequerentur, hoc fuiſſe munus, ut martyrum corpora mandari terræ curarent.) Huncque morem linteo ſeu ſindone cadavera obvolvendi hoc tempore Chriſtianitatis pars major tenet, exceptis fortaſſe inſignioribus perſonis & ſacerdotibus, ut docet *Lorinus* in cap. IX. Actorum v. 37. Plurima tamen in Veterum ſcriptis occurrunt exempla, quæ probant, viventium more veſtibus etiam fuiſſe indutos vitâ functos, ſuo ſtatui conſentaneis, ut quæ vitam ipſorum, eædem & ſepulturam decorarent. Morem autem veſtiendi mortuos prolixè admodum deſcribit *S. Gregorius Nyſſenus*, in vitâ B. Macrinæ ſororis ſuæ. Liber de vitis Pontificum, qui *Damaſo* Pontifici Romano vulgò tribuitur; qui vixit Anno Chriſti 367. cùm tamen *Anaſtaſium* Bibliothecarium autorem habeat, qui in medio ſeculi Noni demum floruit, refert, Eutychianum Papam conſtituiſſe, *ut quicunq; fidelium martyrem ſepeliret, id ſine Dalmatica aut Collobio purpurato nullatenus faceret.* Eſt autem Dalmatica, tunica ſacerdotalis candida cum clavis & purpura, ut explicat *Iſidorus* lib. XIX. Orig. cap. 22. Collobium verò veſtem notat ſine manicis & mutilatam. Secundùm jus Canonicum Archiepiſcopi & Prælati cum Pallio & habitu Eccleſiaſtico ſepeliri debent. *C. adhæc, 2. extr. de auth. & uſu pall.* In Synodo Antiſiodorenſi cap. 12. aliisque Gallicanis Conciliis, ut Avernenſi & Matiſconenſi ſtatutum quidem eſt, *ne velo aut pallis Sacerdotis corpus, dum ad tumulum evehitur, obtegatur, quia ſacro velamine uſibus ſuis redditô, dum honorantur corpora, altaria polluuntur.* At per velum & pallas non intelligunt Concilia quasvis veſtes ſacras & ſacerdotales, ſed pallam ſeu mappam ſive tegumenta altaris, de quibus facilè conceditur, inquit *Suarez. Tom. 3. in tertiam partem Diſ. 81. Sect 8.* non debere in hunc uſum converti, ut in eis corpora defunctorum etiam ſacerdotum, obvolvantur. Diſertè hoc exprimitur apud *Gratianum*, cap. *Nemo*, de Conſecrat. Diſt. 1. ex Clemente Romano; *Nemo per ignorantiam*

Clericus

Clericus mortuum credat obvolvendum, aut Diaconus scapulas operire velit pallâ, quæ fuit in altari, vel certè, quæ Diacono data est in mensam Domini, i. e. Man ſoll auß den Altartüchern keine Leichentücher machen/ oder ſie darzu gebrauchen. Interdum & veſtibus pretioſis, quibus amicta erant defunctorum corpora ceratum ſuperinjiciebatur linteum vel pullum etiam pallium, ut exemplis docet jam dictus Jeſuita *Gretſerus*, de funere Chriſtiano lib. I. c. V. unde ante citatus *Lorinus* loco dicto; *Utrumq; apud nonnullos Chriſtianorum fuit in uſu, ſimul cadaver veſte induere, ſimul indutum linteo involvere.* Irrepebat autem in his emortualibus veſtimentis luxus aliquis & oſtentatio, in quem invehitur ſupra citatus Sanctus Eccleſiæ Antiſtes *Hieronymus* de vita S. Pauli primi Eremitæ, ad calcem; *Cur & mortuos veſtros auratis obvolvitis veſtibus? Cur ambitio inter luctus, lachrymasq; non ceſſat? An cadavera divitum, niſi in ſericc putreſcer nequeunt.* Et *S. Chryſoſtomus*, Os illud aureum eloquentiæ, Homil 84. *Tu cum audieris nudum Dominum reſurrexiſſe, ceſſa, quæſo, ab inſana funeris impenſa. Quid ſibi hoc ſuperfluum vult, & inutile diſpendium, quod ipſis, qui faciunt, plurimùm affert detrimenti, mortuis nullam utilitatem, vel damnum potius? Sumptuoſa namq; ſepulturæ nonnunquam causa eſt, ut fures cadaver effodiant & nudum inſepultum projiciat.* Et poſt pauca: *Quod ego, non ut ſepulturam tollam, dico, abſit, ſed luxuriam & ſuperfluam ambitionem.* Appoſitas etiam fuiſſe frondes virides ſub capitibus defunctorum, docemur in Ritualibus Durandi. Sic enim ille Rational. lib. VII. cap. 35. *Hedera quoq; vel laurus & hujusmodi, quæ ſemper ſervant virorem, in ſarcophago corpori ſubſternantur, ad ſignificandum, quòd qui moriuntur in Chriſto, vivere non deſinunt? nam licet mundo moriantur ſecundum corpus, tamen ſecundum animam vivunt, & reviviſcunt Deo.* Et in hoc infelices Ethnici allucinarunt, qui absq; Reſurrectionis cognitione ornabant corpora cupreſſo, quæ ſemel ſuccisa non regerminat. Fuit quoque olim quorundam conſvetudo, ut Euchariſtiam mortuis ingererent & conſepelirent, quam abrogavit Concilium Carthaginenſe III. Can. VI. *Placuit, ut corporibus defunctorum Euchariſtia non detur; Dictum eſt enim à Domino: Accipite & edite. Cadavera autem nec accipere poſſunt nec edere.* Aliquando denique mortuis cruces vel

vel appenſæ ſunt, vel manibus inſertæ. Exemplum cape ex Prato *Sophronii* Tom. I. Oper. de S. Cruce lib. 2. c. 15. in fine. Et hoc factum eſt, ut teſtarentur beneficia in ligno Sanctæ crucis accepta. In *Euchologio Græcorum*, ubi ritus ſepeliendi traditur, legimus; *Cadaver in ſepulchro ponitur. Sacerdos verò palâ terram in formam crucis injicit in cadaver, dicens: Domini eſt terra & plenitudo ejus.* Porrò ablutum probè, unctum ac honeſtè veſtitum, floribus coronatum demortui corpus (Hoc enim eſt συγκομίζειν νεκρὸν, *componere mortuum ad ſepulturam*, qvæ vox Actor. VIII, 2. habetur, ubi de funerando Stephano agitur. Sic *Cornel. à Lapide* συγκομίζειν *corpus defuncti eſt illud abluere, componere, ungere, veſtire, loculo imponere &c.*) in ædium veſtibulo ad ipſum limen collocabant Græci pariter ac Romani, ut aliis intuendum præſentaretur, & cerneretur mortuus, *ecqva ea vis illata*, ut indicat *Julius Pollux* L. IIX. c. 1. Cuſtodem qvoqve collocationi adponebant haut rarò, ne injuria defuncto fieret ab inimico vel creditore. Collocabant autem defunctos vel humi, *Artemid.* L. I. cap. de Nativ. *Valer. Maxim.* L. I. c. VIII. vel in alto lecto, *Perſ.* Satyr. 3. Servabant etiam, ut cadaver foràs ſpectaret, & facie pedibusq; eſſet in publicum verſis, forſitan eo ſitu abitionem illam poſtremam ſignificantes, ut inqvit *Joh. Roſinus*, Antiqvit. Rom. lib. V. cap. 39. Hinc *Plinius; Ritu Naturæ capite hominem gigni mos eſt, pedibus efferri.* Vide *Kornmannum* de Miraculis Mortuor. c 58. de exitu infantis in mundum & cadaveris è mundo. Ordinem hunc *Lucianus* nobis præit *de luctu* ſcribens; μετὰ ταῦτα δὲ λούσαντες αὐτὸς καὶ μύρῳ τῷ καλλίστῳ χρίσαντες τὸ σῶμα καὶ στεφανώσαντες τοῖς ὡραίοις ἄνθεσι προτίθενται. *Deinde lotos eos ungventoq; optimo delibutos & tempeſtivis floribus coronatos collocant.* Apponebant haud rarò arma, libros, gemmas & alia, qvæ vivos præcipuè delectaſſent. Romæ Principum lectis aſſidebant à lævâ parte Patricii & Nobiles, veſtibus atris amicti, à dextrâ Matronæ nobiliſſimæ, depoſito omni ornatu & veſtibus albis velatæ. Vide *Chytræum* de Vita & Morte pag. 89. Cl. *Dilherrum* tom. I. diſput. Philol. pag. 449. inter cætera ex Platone refert, ad tertium usqve diem collocatum h. m. corpus ſubſtitiſſe, ut interea de mortis certitudine evidenter conſtaret. Neqve apud Chriſtianos inuſitatum fuit, ut hominum conſpectui exponerentur mortui. Sic enim *S. Lucas in Actis cap. IX. 37.* Mortuam Tabitham ἐν ὑπερῴῳ, in cœnaculo

naculo positam fuisse scribit. Ad qvem locum *Aloysius Novarinus* sect. IV. num. 1019. *Qvæ vivens bonis operibus ad summa conscenderat, mortua in altiori domus parte collocatur: antiqvitus sæpè in cœnaculo cadavera exponebantur, ut alii notavêre.* In eundem Lorinus; *Onuphrius Panuinus*, inqvit, *de ritu sepeliendi c. 3. locum ubi cadavera exponerentur, universè infert ex præsenti historiâ fuisse cœnaculum, vel domus publicam partem. Solet tamen cadaver multis in provinciis ad januam domus, seu in vestibulo exponi. &c.* Et hæc expositio, inqvit *Gretserus* de Funere Christiano lib. I. cap. VII. ad spectaculum fiebat, non modò ante ductum, sed & aliqvando post ductum funus, nam *corpus B. Paulæ viduæ triduo post funus expositum mansit, donec subter Ecclesiam & juxta specum Domini conderetur*, ut scribit *Hieronymus* in Epitaphio S. Paulæ. Accendebantur qvoq; ad corpora defunctorum, anteqvam ad sepulturam exportarentur, *faces, Lampades, cerei.* Sic Constantini M. cadaver *in imperatoriis ædibus celso atq; edito loco depositum luminibusq; circum funus aurea super candelabra accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebat*, ut refert *Eusebius* lib. IV. de Vita Constantini M. cap. 66. Testatur etiam *Corippus* lib. III. de cadavere Justiniani nondum elato, *ad illud aurea & argentea candelabra cereis longè latèq; collucentibus conspicua fuisse apposita.* Lampas itidem ad corpus S. Ansberti collocata est, teste *Surio* tom. I. Psalmos insuper ad feretrum defuncti cantatos esse, docet *Hieronymus* de S. Paulâ, *Augustinus* Lib. IX. Confession. cap. 12. &c. Sed ne qvid ceremoniarum prætermittam; Conclamabant tandem per intervalla mortuos, qvi in re præsenti erant apud Romanos h. e. mortui nomen claris vocibus ore plurium iterabant. Causam conclamationis suppeditat *Plinius* lib. VII. c. 52. eamq; præterea tradit *Cornelius Celsus* Præf. lib. I. de re Medica, *Qvoniam*, inqvit, *solet plerumq; vitalis spiritus exclusus putari & homines fallere, ideoq; simul conclamabatur, si fortè revivisceret.* Eadem causa erat, cur calidâ defuncti abluerentur. Hinc *Casp. Barthius* Adversf. lib. XXXVII. c. 17. *Mos erat antiqvorum mortuos, qvos comburerent aqva calida abluere, ut si qvis Spiritus intus lateret, calore excitaretur.* Ne igitur semivivi, pro mortuis sepulturæ traderentur, consvetudo ciendi clamorem introducta est à Romanis, eo scil. fine, ut vel exeuntem animam retardarent,

darent, vel in corpore adhuc delitescentem expergefacerent. Unde & conclamati dicebantur, in qvibus nulla spes reviviscendi, qvò pertinet illud Terentii; *Define, jam conclamatum est. Eusebius* περὶ Παρασκευῆς XI. libro & *Theodoretus* ex Platonis X. de Republic. Eris Armenii proferunt exemplum, qvi cum in prælio occubuisset, sublatis decimo die cadaveribus, cæteris qvidem jam corruptis, integer repertus fuit, & domum delatus ut funeretur, duodecimo ab obitu die pyræ impositus revixit. Tradit venerabilis *Beda*, lib. V. Histor. Anglic. cap. 15. Patremfamilias in regione Nordarimbrorum circiter annum Domini 683. infirmitate corporis tactam, ad extrema perductum, primo tempore noctis defunctum esse, sed diluculo reviviscentem ac repentè residentem, omnes, qvi corpori flentes adhæsissent, timore immenso perculsos in fugam convertisse. Plura recensetKornmannus, de Miraculis Mortuor. part. II. confer D. *Calixtum* de Immortalitate animæ c. IIX. scil. manent interdum Spiritus humanis corporibus inclusi, sed motus occulti sunt, devinctiqve sensus adeò, ut vivantne, an non ejusmodi corpora, non facile intelligatur. Sed emansor sum Conclamationis causam indicare volebam, in viam redeam & de signo funebri dicam oportet. Apponebantur apud Romanos foribus indicia qvædam, qvibus funestam ibi esse domum, cognosceretur, ne qvis scilic. rem divinam fortè facturus imprudens & nescius domum illam introiret, & velut attaminatus suscepta peragere non posset, ut docet *Servius* in 3. Æneid. in id; Atraqve cupresso. Indicis autem loco *Picea* & *Cupressus* in vestibulo seu super limen superum Januæ ponebatur. De Picea audi *Plinium* lib. XVI. cap. 10. *Picea montes amat atq; frigora: feralis arbor & funebri indicio ad fores posita ac rogis virens.* De cupresso eundem *Plinium* lib. XVI. cap. 33. *Diti sacra & ideò funebri signo ad domos posita.* Ast non solùm qvia Diti sacra, sed etiam qvia succisa non regerminat, funestis ædibus apponebatur Cupressus. Hinc *Festus* ait; *Cupressus mortuorum domibus ponebatur ideò; qvia hujus generis arbor excisa non renascitur: Sicut ex mortuo jam nihil sperandum est, qvam ob causam in tutelâ Ditis patris esse putatur.* Hæc ille. Divitum autem duntaxat non omnium ædibus funestis præponi solitam sacram hanc lachrymis & luctus arborem autoritate *Lucani*, (elegantissimi

tissimi ac doctissimi poetæ, elogio *Turnebi* adverss. lib. XXI. c.18. contra aliorum judicium) confirmamus :

Et non plebejos luctus testata cupressus.

Idqve ob peregrinæ arboris raritatem. Refert *Kirchmannus* lib.I.de Fun. Rom.cap. XIV.in fine, Græcos ad fores privatarum ædium tantisper dum illæ funestæ essent, & dum περίθεσις fieret ejus, qvi obierat, vas magnum statuisse aqvâ lustrali plenum, qvâ sese qvisqve exiens aspergebat, qvi exeqvias venerat. Solitos etiam fuisse capillos de ipsius defuncti capite sectos foribus appendere, qvod utrumqve probat ex *Euripide*. Regredior ad Christianos, qvi Campanâ signum dare solebant, præsertim in Monasteriis, cum qvis eorum de seculo fuisset evocatus, vide *Bedam lib. IV. histor. Anglic. cap. 23.* Qvi mos hodieqve in Principum funeribus obtinet. Solet enim, cum qvis exspiravit, signum campanis Ecclesiæ publicitùs edi, alicubi qvidem ante funeris deductionem, alibi dum funus ducitur, alibi utrâqj vice. In Synodo qvidem Dordracena Anno M D LXXIV. habita cap. 47. decretum est; *Ex eadem causâ* (scil. propter superstitiones & precationes pro vitâ functis) *compulsationes campanarum tempore sepulturæ defunctorum omninò tolli debent.* Nos hunc morem pulsandi campanas in exeqviis retinemus, non ut populus hoc audiens pro *defuncto oret, utqj procul pellantur hostiles exercitus, & omnes insidiæ inimici,* sed ut vel indicetur funus, vel ut convocentur nolarum sonitu homines ad funus deducendum. Restat Funeris Indictio, qvæ per præconem fiebat apud Romanos, qvi ad funus deducendum populum solemni formulâ evocabat, qvæ hæc erat, ut *Scaliger* observ. ex Terentii Phormion. Act. V. Scen.ult. & Varronis Lib. IV.de Lingv. Lat. OLLUS. QVIRIS. LETHO. DATUS. EST. L. TITIO. EXEQVIAS. IRE. CUI. COMMODUM. EST. JAM. TEMPUS. EST. OLLUS. EX. ÆDIBUS. ECFERTUR. Hinc etiam *Indictiva* funera, autore *Festo*, dicebantur, vel etiam Indicta apud *Svetonium* in Jul. Cæs. cap. 84. qvæ erant amplissima & præter alium sumptuosum apparatum qvoqve ludis celebrata adhibitis etiam desultoribus. Eadem dicebantur *publica*, erantqve primorum scil. & ditiorum, qvibus opponebantur funera *Tacita*, sive *simpludiaria*, vulgaria & communia, videl. plebejorum, qvæ fiebant sine pompa, sine ludis, sine præcone & indictione, vide

vide *Senecam* lib. I. de Tranqvillit. cap. 1. Ad Tacita funera revocantur *acerba*, h. e. eorum, qvi intra Tyrocinii diem & ante sumptam togam virilem moriebantur. Hi enim subtrahebantur potiùs, qvàm cum pompa sepeliebantur. In qvam rem *Corn. Tacitus* (qvi familiam ducit omnes inter historicos, quà prudentiam, qvà sincerum mentis judicium, qvà postremò ipsam dictionem, Elogio Excellent. Dn. D. *Conringii* Præfat. in Tacitum de moribus Germ. lib. XIII. Annal. de morte Britannici. *Festinationem exeqviarum edicto Cæsar defendit, id à majoribus institutum referens, subtrahere oculis* acerba *funera, neq; laudationibus aut pompâ detinere.* Vide *Kirchmannum* lib. I. de Fun. Rom.cap. IV. de his & aliis funerum distinctionibus. Cæterum apud Spartanos, ut *Herodotus* narrat Lib. VI. & *Alexander ab Alexandro* refert Lib. III. cap. VII. erat constitutum, ut rege defuncto, eqvites obitum regis enunciantes cursitent, fæminæqve crinibus passis & libero conqvestu, tinnitu ollas pulsent æneas, qvibus nec nocte nec die qvies. Tunc audito regis obitu in omnem formam luctus concedi permissum erat &c.

CAPUT VI.

De ipsâ Νεκροφορία, *eamqve comitantibus.*

VOce præconis invitati, jam ibimus exeqvias. Sed ne præproperè efferatur funus, videndum est. Nimia enim maturatio qvandoqve vivos pro mortuis sepelivit. *Zeno* Imper. in ordine LVI. sive acutiore morbo, sive ebrietate nimiâ exanimatus cum concidisset, Ariadnæ uxoris jussu in sepulcrum illatus est vivus, ut *Historiæ* tradunt. Idem *Johanni Duns Scoto*, qvi ob ingenii acumen *subtilis Doctoris* titulum promeruit, Coloniæ Agrippinæ anno 1308. accidisse *Jovius* narrat in *Elogiis Dd. Vir.* Intervallum verò inter emortualem & elationis diem tam varium fuit, qvàm variæ ipsæ gentes, neqve apud easdem planè idem. Si *Servio* fides lib. V. Æneid. ad verba : *Præterea si nona diem &c.* VII. dies à morte ad funeris exportationem intercedebant apud Romanos. Hinc *Alexander ab Alexandro*, Jurisperitus Neapolitanus, Genialium dierum, operis multi jugâ eru-

eruditione referti & promptuarii antiqvitatis instructissimi, Lib. III. cap. 7. ait; *Diebus septem servare solebant* (corpus defuncti) *arâ constitutâ, ubi odores incenderent, qvæ acerra dicta est. Græcis verò septendecim diebus corpora, antequam cremarentur, totidemqve noctibus servare mos erat.* Hoc ultimum, scil. de Græcis, desumpsit Alexander ex *Homero*, qvi libro 24. Odyss. tradit Achillis mortui corpus 17. diebus & noctibus defletum & 18. die crematum.) Et *Polyd.* de rer. inventione lib. VI. cap. 10. *Septem exactis diebus magnâ freqventiâ funus efferebatur, qvasi post mortuum moriturâ, cujus extrema vox erat, Vale, mox te seqvar.* Verùm non per certi alicujus diei habitam rationem multis ostendi posset, si id hîc ageretur. Publicis feriis mortuum sepelire non licuisse Romanis (puta ne sacra publica funestarentur Religione privatâ) refert de re rustica Lib. II. *Columella*, qvi inter omnes, qvi extant, rei rusticæ scriptores Solis instar eminet ac elucet, & *Alexander Sardus* de Moribus & Ritibus Gentium lib. I. c. 27. Neqve Judæis (sic enim post reditum à Captivitate Babylonicâ omnes Abrahamidæ vocati, de qvâ appellatione vide *Casaubonum*, Exercit. I. ad Apparat. Annal. num. III.) licitum erat diebus festis mortuos sepelire, qvia ex contactu mortui pollutio. Sed qvoto post mortem die? Anton. Margar. Judengl. p. 60. de cadavere jam egelido refert insutum illud linteis mox efferri ad cœmeterium, ollâ post elationem è domô terræ illisâ, ad indicandum mœrori jam simul factum finem; infertur autem in cœmeterio cuidam ædiculæ, ubi cadaver mensæ impositum oblongæ, calidâ abluitur undiqve ac vino inungitur, atqve sic linteis suis rursus vestitur &c. Hinc denuò ad novam deportatur ædiculam, ubi mensæ imponitur lapideæ, recitatis precibus צדוק והרון, atqve sic demum his absolutis suo committitur sepulchro, agnatis proximis primam injicientibus terram, qvos reliqvi postmodum imitantur comites. Cæterum Græciæ clarissima stella, Athenæ funera sua, præsertim acerba ante Solis ortum extulêre, idqve ex lege *Solonis*, qvi unus fuit è septem Sapientibus & Legum Atticarum scriptor solus ex septem. Juxta *Ciceronem* II. de Legib. *Demetrius Phalereus* Athenarum per decennium præfectus, à qvibus tot statuis fuit ornatus, *qvot luces habet annus absolutus*, teste *M. Varrone*, cavit edicto, ut ante lucem eferantur corpora. Exempla qvi desiderat,

siderat, adeat *Homerum*, primum, juxta *Plinium*, doctrinarum & antiqvitatis parentem, qvi sæpè hunc ritum tangit. Apud Romanos tempus τῆς ἐκφορᾶς nocturnum fuit, ævo antiqvissimo, *si Servio* credimus ad lib. XI. Æneid. id affirmanti, ubi educebatur cadaver ad faces & funalia, unde & funus dictum ipse autumat. De cujus tamen etymo Grammatici certant & adhuc sub judice lis est. Verùm hic mos noctu efferendi funera præsertim in funeribus Indictivis postea exolevit, mansisse tamen videtur in Tacitis & vulgaribus, qvod ex *Festo*, Grammaticorum eruditissimo patet, qvi *Vespillones* (bajulos, qvi cadavera ad sepulturam exportant) inde dictos putat, *qvia vespertino tempore eos efferunt, qvi funebri pompa duci propter inopiam neqveunt.* Hebræis placuisse, ut interdiu sepelirentur defuncti, exempla ostendunt funerum singulorum, v.g. Saræ, Abrahami, Patriarcharumqve reliqvorum, item Regum aliorumqve virorum & mulierum celebrium, unde *Sopranes*, David. dig. 2. fol. 487. *apud Judæos res mihi certa est, diurno tempore mortuos efferri consveviſſe.* Apud Christianos etiam aliqvando funera noctu ducebantur, præsertim persecutionis tempore, sic enim τὸν ἀποστάτην Julianum lege vetuisse diurna funera, ostenditur ex C. Theodos. tit. de sepult. violat. Felisacus lib. I. select. c. 16. scribit, *consentientem Græcorum Latinorumqꝫ esse ritum, non post vesperum, non intempestâ nocte, sed mero die celebratus fidelium vitâ functorum exeqvias. Christophorus Marcellus*, Archiepiscopus Corcyrensis, lib. I. Sacr. Ceremoniarum sect. XV. cap. II. de Exseqviis Romani Pontificis refert, Funus Papæ mortui in templum S. Petri delatum *nocte reponi in capella majori, & tandem noctu sepeliri.* Justo tempore. Nocturnum namqve tempus noctis filio & tenebrarum convenientissimum est. Nocte etiam portari Cardinalium cadaver ad Ecclesiam, dicit idem capite præcedente. Sed ad Romanos regredior, apud qvos omnibus domi peractis tollebatur feretrum. Deferendi verò funus plerumqve proximis hæredibus, virilis sexus dabatur munus. Hinc Lyricæ festivitatis antesignanus Romanorumqve Pindarus *Horatius* lib. II. Satyr. V.

— — — *cadaver*
Unctum oleo largo nudis humeris
tulit hæres.

Nonnunqvam & servi libertate donati cadaver sui Domini efferebant. Imperatorum, aliorumq; de

de Republ. præclarè meritorum, ut *Coriolani*, *C. Julii Cæsaris*, *Augusti*, feretra subibant interdum Magistratus, Senatores, Patricii. *Dionysio* lib. VIII. *Svetonio* in vita Cæs. *Tacito* lib. I. Annal. testibus. Tenuiores cives, plebsque infima, vel etiam populo invisus quandoque à Vespis seu Vespillonibus & Sandapilariis exportabantur, quod cum ingenti dedecore Domitiano Imperat. alteri post Neronem Orbis monstro contigisse, testatur *Eutropius* lib. VII. & *Svetonius* cap. XVII. Apud Spartanos *Filii tecto capite in veste pullâ Parentes efferre consvevêre*, ut refert *Alexander ab Alexandro* l. 3. dier. Genial. c. 7. Et Q. Metellum Macedonicum qvatuor ejus filii rogo intulerunt, ut tradit *Plinius* lib. VII. cap. 44. in princ. Judæi mortuos suos etiam humeris portabant, *Regum funera*, (inqvit *Schickardus* de Jure Regio Hebræor. cap. VI. p. 160.) *fuerunt in humeris etiam longissimam sæpè viam exportata: qvi honor ne malis qvidem regibus & odio habitis publicè, fuit denegatus. Cujus humanitatis notabile specimen ediderunt Pharisæi post fata Jannæi.* Elatum sic esse Herodem per ducenta stadia, itinere sesqvitriduano, post pauca ex *Josepho* de Bello lib. I. c. ult. refert, inqviens *Herodem* גדולי ישראל *Magnates Israel ferebant suis humeris, tardè ac graviter incedentes, qvod nulli alii Regum ita factum. Hinc qvoqve* βαστάζοντων mentio fit Luc. VII, 14. Cæterum Bajuli sandalia pedibus inducere vetabantur, docente *Maimonide* ob causam levissimam, qvam idem tradit Hal. Efel. cap. 4. §. 2. *Efferunt defunctum humeris, (nec vehunt lecticâ) usq; ad sepulchretum, sed latores prohibentur calceati sandaliis, ne fortè rumpatur corrigia cujusdam & illud processionem impediat.* (Qvidam vertunt; *fiatqve cunctabundus.*) More hoc humeris ferendi mortuos in prisca Ecclesia nihil fuit freqventius. Qvi autem funera olim curabant & efferebant κοπιῶντας h. e. laborantes nominantur in Epist. 12. ad Antioch. qvæ sub *S. Ignatii* nomine circumfertur. Item Κοπιάται, *& lecticarii*, de qvibus *Justinianus* Nov. 43. & 59. Constantinus Magnus ὁ ἐν χριστιανοῖς βασιλεῦσιν πρῶτος (Primus enim Imperatorum Christo nomen dedit) in Ecclesiâ Constantinopolitana instituit 950. officinas (qvarum numerum postea auxit Anastasius Imp.) immunes ab omni publico munere & vectigali, qvæ suppeditarent *Lecticarios* seu *Decanos*, ut appellantur in *Novell.* seu *Copiatas*, qvi gratuitam efferendis mortuis

mortuis & sepeliendis præstarent operam. Ad quorum *Copiatarum* seu *Lecticariorum* formam Romæ, & ex hoc traduce alibi, institutæ sunt *Sodalitates Mortis*, quibus mortuis sepeliendis præcipua cura, referente *Baronio*, Tom. III. Anno CCCXXXVI. & *Lorino*, in cap. V. Actuum Apostol. Hanc enim sibi curam sumebat *Sodalitas mortis*, ut Eligiana in Belgio, ut nemo mortuus supremo funeris & sepulchri honore careret. Quanquam verò Lecticarii ad hoc constituti erant, ut defunctorum corpora efferrent, sæpè tamen honoratissimi quique, pietate & vitæ sanctimoniâ celebres *sacerdotum propinquorumq; manibus excepti perpetuis sedibus illati sunt*, ut loquitur *Sidonius Apollinaris* lib. II. Epist. 8. Sic Romualdi Abbatis S. Emmeranni, qui Ratisbonæ mortuus est anno Domini 1007. feretro Henricus Germanorum Rex & postea Imperator proprium supposuit humerum, ut illud ad sepulturam deferret, uti ex Arnolfo Comite refert *Baronius*. S. Gregorius Nyssæ Episcopus, quem Græci honoris causâ Patrem patrum vocant (teste *B. Gerhardo* in præfat. ad Postill. Salom. cap. XI.) Macrinæ virginis, sororis suæ feretrum ipse subiit. S. Paula *translata est Episcoporum manibus & cervicem feretro subjicientibus*, referente *Hieronymo* in Epitaphio ejus. S. Fulgentius etiam ad Sepulturam deportatus est Sacerdotum manibus, ut scriptum legimus in vita ejus, Tom. I. Surii. Erant autem plerumque quatuor tantùm, qui feretrum ferebant, ut in funere Macrinæ videre est; Ego, inquit Gregorius Nyssenus, *feretrum subiens illum*, (Araxium Episcopum) *advocavi, ut alterum partem sustineret, posteriores verò feretri partes alii duo de Clero insignes viri.* Interdum tamen vel ob gravitatem oneris, vel ob magnificentiam sex vel octo lecticarii adhibebantur, quod etiam hac nostrâ ætate fit. Porrò feretrorum duo potissimum erant genera apud Romanos, Lectica & Sandapila. Lecticis s. Lectis nobiles ac fortunati, Sandapilis pauperiores & vilioris fortunæ homines efferebantur; iisque interdum apertis, si suâ morte obierant vel facie erant non planè deformi, quam sæpè fucare solebant, non levi quadam vanitate, ut mortuæ interdum, quàm viventes adparerent formosiores. Qui mos hodieque in Italia & Gallia obtinere dicitur. Quando autem cadavera ruinâ ædium detrita vel alio casu mutila, propter deformitatem honestè oculis populi palàm exponi non

ni non poterant vel planè vestibus involvebantur, tegebanturque. Vel larvæ quædam, quæ eorum faciem repræsentabant, ipsis imponebantur, & hæc dicebantur *Funera larvata*. Sic *Plinius* refert Scipionem Æmylianum obvoluto capite elatum, ne livor vel tumor in ore appareret. *Larvati Funeris* monumentum Romæ adhuc conspici, testatur *Kornmannus* de Mir. Mortuor. part. VII. cap. 31. Christianos etiam modò tecta, modò conspicua extulisse olim defunctorum corpora, ex *Nysseno* Orat. in Placillam Imperatricem & *Gregorio Naz.* Oration. in Basilium videtur colligi posse. מִטָּה *Lecti* nomen occurrit in funere Abneri 2. Samuel. III, 31. quod nomen aliàs usurpari communiter solet de lecto, in quo dormituriens vel cibum etiam sumturus se reclinat, vide 2. Reg. IV, 10. Gen. XLVIII, 2. De Herodis sepeliendi lecto, inquit Josephus lib. I. de B. J. in fine; *lectus quidem totus erat gemmis auroq; distinctus, torus autem* (sive vestis stragula aut culcitra, quâ lectus solet insterni) *purpurâ variatus* &c. Ita Nazianz. in Orat. de funere Basilii, & Epiph. lib. 3. tom. I. hæres. 71. scribunt, mortuos *in lecticis vel lectulis ad locum sepulturæ manibus sanctorum exportatos.* Constantinopoli, quæ pons ac porta veluti utriusque Orbis, tria cæteris pretiosiora erant feretra, quorum usus in honoratiorum funeribus : *Studii* videl. *Stephani*, & *majoris Ecclesiæ*, quod erat auro intertextum, de quibus Justinianus *Novella LIX. cap. VI.* Antiquitùs milites in prælio defuncti, *clypeo*, tanquam feretro ad sepulturam eferebantur : juxta illud *Mantuani* de Pallante in pugnâ mortuo, Æneid. X. *Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.* Ad hunc antiquum sepeliendi morem allusit quondam mater quædam Lacæna, filium ad prælium profecturum clypeo obarmans, cum hoc dimetro, ut est apud Ausonium; *Cum hoc*, inquit, *aut in hoc redi.* Quasi diceret; Revertere quidem; sed vivus cum hoc, mortuus in hoc, neque vivus, neque mortuus sine hoc. Eundem morem *S. Ambrosius lib. de Helia & jejunio cap. 13.* indicavit docens, quosdam intemperantes ganeones & helluones, ventris milites, non Martis, nec sanguine perfusos, sed vino madidos è conviviis, tanquam è præliis efferri, *scutis impositos ad sepulturam.* Tyrannis in Christianos sævientibus deferebantur Martyrum corpora ad sepeliendum clanculum, & ut plurimum *supra vehicula,*

cula, in ruralem usum, ut id Ethnicis celarent ministris. Unde in Libello sive Epistolâ *Luciani* Presbyteri de inventione corporis Protomatyris Stephani, (quam allegat *Baronius* tom. I. Annal. ad ann. 34.) leguntur hæc verba : *Ego Gamaliel compatiens Christi ministro, misi per noctem quantos poteram religiosos Christianos habitantes Hierusalem in medio Judæorum, & hortatus sum eos, & necessariam substantiam ministravi ac persvasi illis ire occultè, ut portarent corpus ejus meo in vehiculo, ad villam meam, & ibi feci illis planctum fieri diebus septuaginta, & poni eum in monumento novo in orientali theca &c.* Appellabantur prædicta vehicula *Birota*, à duabus rotis, in actis S. Feliculæ adjunctis, cum aliis actis SS. Nerei & Achillei apud *Surium* tom. 3. 12. Maji ibi. *Sanctus autem Nicodemes presbyter in spelunca degens, clam abstulit corpus ejus ex cloacâ, in quam fuerat projectum, noctu in Biroto vehens illud ad casulam suam septimo milliario ab Urbe Roma, via Ardeatina, ibi eam sepelivit &c.* Vide *Johannem Baptistam Casalium* de Veteribus sacris Christianorum ritibus capit. LXVI. Cæterum feretrum ipsum, quod S. Ambrosius *supremi funeris instrumentũ*, vocat in cap. 7. Lucæ, pompa partim præcedebat, partim sequebatur. Præportabantur faces, candelæ & cerei funeribus frequentissimè apud Gentiles, etiam illis, quæ interdiu ducebantur, quem morem à nocturnâ exportatione remansisse dubito nullus, nec dubitare sinit *Servius* lib. VI. Æneid. *Per noctem autem urebantur. Unde permansit, ut mortuos faces antecedant.* Confer *Tacitum* lib. III. Annal. *Kornmannus* de Mirac. Mortuor. parte VII. cap. 47. inquit; *Ab antiquo more efferendi mortuos noctu, quem ex diurno nocturnum voluit esse Imp. Julianus in veter. C. Theodo. tit. 17. de sepulc. viol. l. 5. ratio ibi, in fin. ut dolor esse in funeribus, non pompa exequiarum nec ostentatio videatur, permansit postea consvetudo, ut in omnibus funeribus, etiam quæ interdiu docebantur, faces, candelæ, funalia & cerei adhibeantur.* In Priscâ etiam Ecclesiâ ad cereos ac luminaria elata funera discimus ex *Nazianzeno* Orat. in Cæsarium fratrem (in cujus funere mater accensas faces gestavit:) usurpat ibi Theologus vocem λαμπηφορίας, quæ licet pro *candida veste* possit intelligi, mavult tamen pro *cereorum & facium gestatione* accipere *Billius* in eand. Orat. *quod nobis priscum Ecclesiæ morem in honestandis cereorum ac lucernarum ge-*

ſtatione funeribus repræſentet. In funere S. Paulæ *Pontifices* quidam *lampades cereosq; præferebant*, ut refert *Hieronymus* in Epitaphio ejus. His junge *Gregorium Nyſſenum* de funere S. Macrinæ, *Chryſoſtomum* Homil. IV. ad Hebræos, ubi & finem hujus funalium moris tradit. ſcil. *lampades, in exequiis Chriſtianorum ideò accendi & funeri præportari, ut ſignificent defunctos deduci tanquam athletas quosdam, qui devicto ſeculo ad ſupremum illum βραβευτὴν ac deſignatorem pergant, coronas ac præmia acceſturi ſtrenuè pugnatarum pugnarum.* Vel ut *anteactam vitam demonſtrent tum & fragilitatem humanæ vitæ.* Hinc *Baronius* Tom. 1. c. 119. *Accenſis cereis, cantu proſequi pompam funeris apud Chriſtianos antiquo uſu receptum eſſe, multis habetur teſtatum exemplis.* Porrò apud Romanos plures inſtrati lecti in pompa funeris ante ibant perſæpè, ſicut de Sylla, cui ſex millia, & Marcello, cui ſexcentos lectos prælatos legimus. In exequiis Imperatorum, Principum ac Nobilium præferebantur inſignia honorum, quos geſsiſſent in vitâ, ſed inverſa, ut faſces, ſecures, arma, vexilla, atque urbium dona, ſpolia hoſtium, ſimulacra gentium urbiumque ſubactarum, expreſſæque cerâ majorum imagines longo ordine. Exempla pete ex *Alexandro ab Alexandro* loc. citat. & *Kirchman.* de Fun. R. lib. II. cap. 7. De imaginibus verò præcipuo nobilitatis Romanæ inſigni in funeribus ductis lege *Polybium* lib. VI. Hiſtoriarum. Refert *Andreas Tiraquellus*, Tomo I. Operum cap. XX. de Nobilitatis prærogativis & privilegiis num. 150. *in Galliis obſervari, ut in funeribus Regum & liberorum regiorum præferantur non quidem majorem, ſed ipſorum imagines ad vivum repræſentatæ.* Quid Chriſtiani veteres? *Crucem*, notam Chriſto militantium, ac Gloriæ trophæum præferebant in funere. Geſtabant etiam quandoque in manibus palmas. Sic S. Petrum Epiſc. Alexand. & Martyr. ſepelierunt, *victrices palmas manibus tenentes.* Antelatæ crucis meminit *Gregorius Turonenſis*, lib. de vitis Patrum in Lupicino Recluſo cap. 14. Sed de perſonis dicam oportet, quæ funebrem præceſſerunt lectum, ubi primò ſe offerunt *Siticines*, ſic dicti, quod apud *Sitos* h. e. ſepulchro conditos (vel potius condendos) canerent, ut annotavit *A. Gellius* Noctium Atticarum eruditiſſimus ac puriſſimus ſcriptor lib. XX. cap. 2. *Cum cantu enim mortuos ad ſepulturam proſequi oportere, plurimarum*

marum gentium vel regionum inſtituta ſanxerunt. Ut eſt apud *Macrobium* lib. II. Som. Scipion. cap. III. Adhibebantur & *Præficæ.* Hæ aſsâ voce, illi (Siticines) inſtrumentis canebant, puta tubis, tibiisque, quarum frequens fuit in Græcorum Romanorumque funeribus uſus, quod latè probat *Kirchmannus* loc. alleg. cap. IV. & V. Certè *Homerus* Iliad. ω refert, cùm cadaver Hectoris in urbem allatum ac lectis penſilibus impoſitum eſſet, adfuiſſe ἀοιδοὺς θρήνων ἐξάρχους, *cantores luctus principes.* Cæterum Tibias ad puerorum puellarumq; aut minoris ætatis funera reſtringere, videntur præter *Servium* in V. Æneid. *Lactantius Placidius* in lib. VI. Statii, *Jubet*, inquit *religio, ut majoribus mortuis tubâ, minoribus tibiâ caneretur.* Et *Statius* ipſe Lib. VI. Thebaidos:

Tibia, cui teneros ſpetum deducere manes.

His ex recentioribus ſubſcribunt *Cornelius à Lapide* ad Matth. c. 9. & I. *Druſius* Præteritorum Lib. I. in loc. præd. Subjicit hic cauſam; *Nam*, inquit, *inſtrumentum eſt Tibia, exilis & anguſtæ vocis.* Verùm id non placet *Kirchmanno*, dicto cap. V. ubi aſſerit; Tubas quidem funeribus duntaxat indictivis adhibitas fuiſſe: Tibias verò funeribus quibuscunque, puta puerorum, ſenum, divitum, pauperculorum, plebejorum, nobilium. Cujus *ſententiæ noſtræ*, addit, *fundus eſt, quòd næniæ ad tibiam canebantur: communes autem omnibus funeribus næniæ.* Sic quoque Hier. Magius Miſcel. lib. I. c. 13. tibicines quibuscunque funeribus adhibitos olim fuiſſe cenſet promiſcuè, idque aliquot probat autoribus. Sed ſufficiat nobis probaſſe Tibias, Tubasque adfuiſſe exequiis. Sed an in Hebræorum quoq; funeribus monumentarii ceraulæ? audiamus Wilh. *Schickardum* de Jure Regio Hebræorum cap. VI. theor. XIX. *An etiam Siticines adhibuerint veteres Hebræi, equidem ignoro, inquiſivi curiosè, ſed nondum reperi ullum ejus veſtigium, niſi forte* מְקוֹנְנוֹת *lamentatrices fœminæ, Jerem. IX, 17. huc referri debeant, quæ anùs pretio conductæ, ululatu ſuo lugentibus lacrymas eliciebant, ut apud Romanos præficiæ.* Hujusmodi lamentatricum non ſolùm, ſed & lamentatorum marium meminit Maimon. H. Efel. cap. 12. initiò. *Quia planctus vergit in honorem defuncti, ideò tenentur hæredes* (mortui) *mercedem dare planctoribus & planctricibus, ut hoc officiũ præſtent: niſi moribundus ipſe teſtamento vetuerit.* Pergit Schickardus; *At hoc*

voce præstabant, non organis, quid ergò sibi vult ille tumultus Auletarum in Evangelica Historia Matth. IX, 23. apud filiolam primatis exanimem? videntur hoc â gentibus, quarum sub potestate fuerant, didicisse. Romani enim tubicines & tibicines adhibebant; &c. & post pauca. *Inde igitur à victore populo ad Judæos, ut alia multa, emanasse credibile est.* Hæc ille. Bartholom. Meierus Philolog. S. parte I. cap. VI. ex consvetudine Græcorum hoc ipsum Judæos hausisse affirmat. Quicquid sit, à Gentilibus postea Judæi in funerum curatione Tibicines mutuati sunt. Hinc ipsum Thalmud (quod jus Civile Judæorum vocat Johann. Drusius Præterit. part. II. ad Matth. c. 9. v. 27.) *Tibiæ adhibentur ad exhilarandum sponsum ac sponsam* (in nuptiis) *aut ad plangendum mortuum* (in funeribus.) Et *Buxtorfius* in Lexico Talmut. de חֲלִיל tibiâ longiore (eine Schallmeye) annotat ejus usum tàm in gaudio fuisse, quàm in luctu. Certè Evangelista Matth. IX, 23. αὐλητῶν disertè meminit, qui deducendo funeri præstò erant, quique rauco suo strepitu tum turbam concìebant, tum pompam præeundo cohonestabant, tum spectatores pompæ advocabant. Sequuntur Planctrices sive *Præficæ*, quarum paulò ante facta mentio, quæ sic dicebantur, juxta *Varronem* & *Festum*, quod planctui præficerentur, dabant enim cæteris modum plangendi suisque falsis lacrimis sciebant aliorum ciere veras. Mulierculæ erant, quæ mercede adductæ ad *tibias fenles* lamentabile & inconditum carmen femineo ululatu miris gesticulationibus iterabant & laudes ac facta defuncti non sine miseratione recensebant, pectus insuper tundentes, capillos vellentes, &c. non itaque *tibiæ in funere tractabant ipsæ, sed earum modulis intercinebant*, ut observat Reinesius lib. I. Var. Lect. c. 20. & 21. Unde *Lucilius*, qui primus Latinorum Satyram scribere aggressus est, Satyr. XXII.

——————— *mercede quæ*
Conductæ flent alieno in funere præficæ,
Multò & capillos scindunt & clamant magis.

Imperatorum quidam, ut est apud Vopiscum, jussit Præficas à suo funere omninò arceri: *Nam si probus* (inquit) *fui, & de Republicâ benè meritus, cuncti lacrymis deconabunt funus meum; sin verò improbus, & tyrannus, etiam conductitiis lacrymis haud dignus ero.* Salmuthus ad Pancir. t. I. memor. p. 340. scribit, eas conductas esse ad decantandas

tandas mortui laudes ante domum, itemque ad planctum fictasque lacrymas, quibus peculiare fuit carmen commune omnibus funeribus, quod privatim facerent, mutatis nominibus defunctorum atque familiarium. Θρηνωδῶν γυναικῶν usus erat non tantùm apud Romanos, sed & apud Græcos, quòd *Plato* indicat in *Minoe*, & ex *Æsopo Apologo* in πλησίῳ aliisque manifestum. Plorabant ergò hæ conductitiæ mulieres & lamentabantur in alieno & ad se nihil pertinente funere nummorum gratiâ, unde & *fictarum lachymarum simulatrices* eas vocat, *Varro Lib. VI. Lingv. Lat.* Carmen autem ab aliis cantari solitum peculiari nomine *Nenia* dicebatur, videatur *Scaliger Poetices lib. I. cap. I.* Latini Veteres *Lessum* appellarunt. Judæos quoque olim in funeribus adhibuisse lamentatores & lamentatrices mulieres ex *Jerem. IX. & Maimonide* loc. alleg. colligi potest illorum planctus, non mero absolvebatur clamore aut ejulatu, sed præcipuè cantionibus ac epicediis in honorem defunctorum, lugentiumque solamen institutis; hæ verò etiam solerter instructæ erant ad plangendi hunc actum, & hujusmodi cantum, qui aliàs nugæ dicebatur. Ita namque Scaliger in Varronem; *Nugæ emnt propriè, quæ canebantur in mortuorum laudem. B. Chemnitius Harm. Evang.* CLXVII. f. 1278. per ὄχλον θορυβούμενον Matth. IX. v. 23. intelligit præficas, alii non præficas, sed cognatos, familiares vicinos & reliquam turbam oppidanam, quod malo. Cum nusquam in Sacris verbum θορυβεῖν de tali, qualis præficarum est, luctu usurpetur, & potius de vehementiore multitudinis discursitantis & commurmurantis strepitu, vide Actor. XVII, 5. Nahum. II, 23. Jud. III, 26. unde & Beza exponit *strepentem & ad funeris pompam concurrentem.* Justinianus Imp. muliebrem lessum in funere in cantum convertit, & præficarum loco Psaltrias substituit, quæ feretrum præcedebant Psallentes, ut est in Novell. 59. Hinc Præficarum loco Psaltriæ erant apud Christianos. Hi enim hymnorum & psalmorum cantu perducebant ad dormitoria sua defunctorum corpora. Cæsarius frater S. Gregorii Nazianzeni *cum multiplici hymnorum cantu deducitur, celebrique pompa ad Martyrum sedes effertur &c. Psalmorum cantu luctum consopiente. Hieronymus* de Funere Paulæ viduæ ait; *Psalmorum linguis diversis examina concrepabant.* Item: *Hebræo, Græco, Latino, Syroque sermone Psalmi in ordine personabant,*

bant, & ſupra citatis verbis ſubjungit, *alios* Epiſcoporum *choros pſallentium duxiſſe*. Erant ergò pſallentes in choros & certos ordines diſtincti, quibus ſui erant duces. *Triplicis canentium ordinis* meminit *Nyſſenus* in funere Macrinæ ſororis. *Pſallentium turmarum Gregorius Turonenſis* loc. ſupra citato. *Hieronymus* de funere Fabiolæ, inquit, *Sonabant Pſalmi & aurata tecta Templorum, reboans in ſublimi quatiebat Alleluja. Hic juvenum chorus, ille ſenum; qui carmine laudes fœmineas & facta ferant*, confer *Chryſoſtomum* homil. IV. in Epiſt. ad Hebræos. *Sulpitium Severum* in vita S. Martini. *Dionyſium* (quisquis ille, etſi non Areopagita, cujus mentio in Actis c. 17. v. 34. ſcriptor tamen antiquus, eruditus & elegans judicio Dn. D. *Calixti Concordiæ Evangel. Lib. VII. cap. 1. in fin.*) cap. 7. de Eccleſiaſtica Hierarchia. Pſalmi autem decantabantur, tum ante funeris elationem, ut ſupra vidimus, tum in ipsâ elatione & ſepultura, imò etiam poſt ſepulturam, tota ſæpe hebdomade novis ſemper ſubvenientibus & funus pſalmodia ſuâ cohoneſtantibus. Docet id Hieronymus de funere Paulæ Romanæ; *Pſalmi in ordine perſonabant, non ſolùm triduo, donec ſubter Eccleſiam & juxta ſpecum Domini conderetur; ſed per omnem hebdomadam cunctis, qui venerant, ſuum funus, & proprias credentibus lacrymas.* Et ne ulli funeri pſalmodia deeſſet, deſtinavit ad hoc officium Aſceteria, certumque Aſcetriarum ſive ſanctimonialium numerum Juſtinianus Imper. in Conſtitutionibus, quas Novellas vocant, quòd Codice recentiores, *Novell* LIX. jam citatâ. Prohibuerat in Africa Rex Genſericus, ne mortuos ſuos cùm pſalmorum cantu efferrent Chriſtiani, de quo conqueritur *Victor Uticenſis*, malorum, quæ Auguſtini ætate paſſa eſt Africana Eccleſia in Perſecutione Vandalica, narrator, lib. 1. de Perſecut. jam dictâ: *Quis ſuſtineat atq; poſſit ſine lacrymis recordari, dum præciperet noſtrorum corpora defunctorum ſine ſolemnitate hymnorum cum ſilentio ad ſepulcrum perduci?* Cauſam, cur hymni in funeribus decantarentur, reddit S. Chryſoſtomus Homil. 4. in Epiſt. ad Hebræos; *Dic mihi, quid ſibi volunt iſtæ lampades tam ſplendidæ? Nonne ſicut Athletas mortuos comitamur? Quid etiam hymni? Nonne ut Deum glorificemus, eiq; gratias agamus, qvod jam coronavit diſcendentem, quod à laboribus liberavit, quod à timore liberatum apud ſe habet*, Romani, ut ad eos redeam, ne quid

ne qvid deeſſet ineptiarum, adhibebant in illuſtrium & fortunatorum virorum funeribus præter alias pompas etiam Ludios & hiſtriones, qvi lectulum præcedebant & ſicinnem ſaltationem ſaltabant. *Dionyſius Halicarn.* lib. VII. Nonnunqvam aderant ſcurræ & mimi, qvi perſonas fingerent, ac dicta geſtusqve vivi imitarentur. *Svetonius* in Veſpaſiano cap. XIX. Inſuper Orcini Liberti (i. e. qvi teſtamento manumiſſi & Libertate donati) feralem lectum ſui domini præcedebant pileati, aut albâ lanâ capitibus velatis, ut obſervat *Alexander ab Alexandro* ille Polyhiſtor. Genial. dierum Lib. III. cap. 7. Funus ipſum proſeqvebatur proximiorum, affinium & amicorum turba, & *Filii qvidem velatis, Filiæ verò nudis capitibus paſſisqve crinibus*, teſte *Plutarcho* in ῥωμαϊκοῖς probl. XIV. Sæpè aderat Senatus univerſus, Magiſtratus, eqvitum turmæ atqve adeò tota civitas, ſi qvando Regum aut Imperatorum, aliorumqve, qvi de Republicâ optimè fuiſſent meriti, funus efferrent. Funeris enim hæc lex erat, inqvit *Alexander ab Alexandro* loc. cit. *at præcedente pompa funebri, vivi ſeqvantur, tanqvam haud multò poſt morituri. Tholoſanus* Syntagm. Juris Univerſi lib. II. cap. 14. num. 15. feralem proceſſum hunc in modum deſcribit: *Adeſt*, inqvit, *& pompa & exeqviarum major ſolemnitas in ſepeliendis viris de Republ. benè meritis, ut in Lucilio Longo funus factum apud Cornelium Tacitum lib. 4. Auguſto Octaviano apud Dionem Caſſium lib. 48. Hiſtor. Rom. præcedebant ſacerdotum collegia, Appian. in Syllæ funere, & præferebantur omnia mortui ornamenta majorumq; imagines. Procedebat funus more priſco, ſeqvebantur homines, qvaſi poſt ipſum defunctum morituri, ſubſeqvuturi, à qvibus dicebatur* Vale, nos te ſeqvemur. *Inde & dicta exſeqvia, ut apud Donatum legitur in illud Terentianum*; funus interim procedit, nos ſeqvimur. Hæc in rem præſentem volui producere, licet pluſcula. *Fileſacus* l. 1. ſelect. cap. 16. p. 288. monet, ordinem, diſpoſitionemqve funeris palàm monſtrare, cum defuncti corpus prælatum, cognati, affines ac amici proſeqvuntur, neceſſarios noſtros ſolùm *præmitti, non amitti.* Athenis lege ſanctum erat, ne qvis in alienum funus accederet. De qvo *Cicero* lib. II. de LL. circa finem: *Sublata etiam erat celebritas virorum & mulierum, qvo lamentatio minueretur. Habet enim luctum concurſus hominum: qvocirca Pittacus omni-*

nò accedere qvenqvam vetat in funus aliorum. Cognati ergò & amici ibi potiſſimùm conſpiciebantur. Defunctorum corpora cum honore & multitudine comitantium delatos fuiſſe ad ſepulcrum apud Judæos docet ſæpè citatus *Maimonides* H. Efel. cap. 4. inqviens; *Et qvi funus comitantur, dicunt ſolenniter:* VADE IN PACE. & in fine c. XII. *Qvisqvis effertur in lecto, multi juxta illum cohoneſtant ſuâ præſentiâ: qvi verò non effertur in lecto, apud eum comparent nulli.* Ibidem etiam disqvirit, uter ſexus debeat præcedere. *Eſt locus,* ait, *ubi mulieres ſolent præcedere feretrum, ibi præcedant ſanè; qvia illæ mortem introduxerunt in mundum: eſt alius, ubi ſeqvi ſolent, ibi ſeqvantur: ob honorem filiarum Iſrael, & ne qvis fortè maſculus illarum aſpectu incendatur, ut explicat Talm. Jeroſol.* ſeq. cap XIII. *In qvalibet ſerie non pauciores decem perſonis incedunto.* Funus comitari ſolenne fuiſſe Judæis, exemplis docet S. Pagina. *Omnes ſervi Pharaonis, ſeniores familiæ ejus & ſeniores terræ Ægypti* deduxerunt ex Ægypto in Cananæam exanime corpus Iſrael, Gen L, 7. Abneri militiæ ducis feretrum ſeqvebatur Rex & Propheta David cum miniſtris ſuis 2. Sam. III. v. 23. Matth. IX, 23. in Jairi Archiſynagogi ædibus ἔχλον videmus θορυβάμενον, haud dubiè funeris comitandi ergò jam præſentem. Et Turbam multam civitatis Naim Filii Viduæ exeqvias iviſſe legimus apud *Lucam cap. VII. v. 12.* Chriſtiani etiam freqventiſſimi ſæpè ad exeqvias ſanctitate inprimis & dignitate excellentium hominum confluebant. vide *Gregorium Nazian.* Orat. in laudem Baſilii. *Gregorium Nyſſen.* Orat. in S. Meletium Epiſcop. Antioch. *Sulpitium Sev.* in vita S. Martini Epiſt. 3. *Hieronymum* in vita S. Paulæ & Fabiolæ. *Euſebius* lib. 4. de vitâ Conſtantini, Exeqvias pientiſſimi Imperatoris ſic deſcribit; *Cadaver in capſulam collocatum & purpureo Operculo obtectum Conſtantinopolin deportatum & in Baſilica ſub altiſſimis gradibus depoſitum eſt, luminibus ſuper candelabris aureis circumcirca accenſis, inde deductum in aliud Templum, ubi conditum eſt, turba freqvens omnis generis ſecuta eſt.* Aliqvando à funerum deductione Virgines novasqve nuptas arcuerunt S. Patres. Sic enim χρυσορρήμων χρυσόστομος lib. III. περὶ τῆς ἱερωσύνης: *Jam & Virgini oportet funebres pompas & publica pervigilia interdicta eſſe.* *Et Syneſius* Episcopus Ptolemaidis Epiſtol. III. ὃ δ' οἶμαι, νομίζεται νυμφευ-

νυμφευτρίαις βαδίζειν ἐπ' ἐκφορὰν. *Non enim opinor, moris eſt, ut nova nupta ad funus conveniat.* Aliqvando, inqvam, non enim ſemper virgines à deducendis funeribas excluſæ fuerunt. Nam in funere jam laudati Chryſoſtomi *magnum fuiſſe Virginum multitudinem,* teſtatur *Palladius*, in Dialog. de funer. Chryſ. *Virginum chori fletu abſtinentis præ pudore* in funere S. Martini meminit *Sulpitius* Epiſt. 3. In funere S. Paulæ *nullam Virginum cubiculorum ſecreta texiſſe* ait *Hieronymus* in Epitaphio Paulæ. *Omnem in exeqvias ſexum conveniſſe & ætatem*, dicit *Corippus* lib. III. de funere Juſtiniani. Fuiſſe autem confluentem ad funus deducendum populum in ordinem & certa agmina diſpoſitum, docet *Nyſſenus* in Vita S. Macrinæ. Vide & *Jacobum Gretſerum* l. I. de Sacris proceſſionibus cap. XIII. ubi exempla funebrium proceſſionum recenſet. Nec illud prætereundem eſſe monet idem libr. II. de Funer. Chriſtian. cap. III. eqvos interdum ſaccis ſeu operimentis lugubribus amictos in pompa funebri ductos eſſe, ut & hodiè fit in Imperatorum, Regum, Principum ac Nobilium funeribus. Teſtatur id *S. Chryſoſt.* Hom. III. ad populum Antiochenum. *Divite aliqvo mortuo non ſervos ſolos, & ancillas, ſed & eqvos neceſſarii ſaccis amicientes & agaſonibus tndentes, ad ſepulchrum ire jubent.* Funus exſeqventes, præſertim qvi proximiori ſangvinis nexu cohærebant, defuncto *lachrymis indulgebant* maximè. *Paſcunt* enim *freqventer lachrymæ & mentem allevant fletus, refrigerant pectus & mœſtum conſolantur. Eſt qvoq; piis affectibus qvædam flendi voluptas & plerumq; graves lacrimas evaporat dolor*, inqvit *Ambroſius* de obitu Valentini. Ipſe Salvator ad monumentum Lazari flevit, aliisqve lacrymantibus ſe conjunxit Joh. XI, 35. ex qvo Judæi colligunt ejus amorem ergà defunctum. Et Joſephus Patriarcha non aqvâ calidâ, ut Achilles Patroclum ſuum ab Hectore interfectum (*Homerus* Ιλ. σ.) ſed lacrymis ignitæ caritatis & humanitatis corpus paternum lavat Gen. L, 1. Rex David feretrum Abneri à Joab fraudulentur interfecti plorans ſeqvebatur, 2. Samuel. III, 31. 32. Sororem in Sororis funere ſangvineas lacrymas fudiſſe refert *Delrius* Polemica 2. Alexander Macedo illacrymavit funeri conjugis Darii, *Curtio* teſte, lib. IV. poſt med. In funere Macrinæ ſororis Nyſſeni *Virorum & mulierum multitudo Pſalmorum decantationem fletibus interrumpebat. Maimo-*

nid. ait c. XII. Efel. §. 1. *Qvicunq; segnis eſt ad plangendum conſangvineum, dignus eſt, qvi ſepeliatur vivus: & qvisqvis lacrymas profundit ſuper conſangvineo, merces ejus ob idipſum aſſervatur penes Sanctum Benedictum.* Lacrymis planctus, *ejulatusq;* immiſcebantur & leſſu, i. e. voce ſonorè ejulante omnia implebantur. *Cicero* Legem XII. Tab. *de leſſu funeris non habendo* exponit lib. 2. de legibus, de lugubri ejulatione. *Plato* ait, lib. XII. de leg. *fieri mortuum, jubere aut vetare abſurdum eſt, plangere verò & voces ac lamenta extra ædes mittere vetandum.* Etiam Rex David in funere Abneri *extollebat vocem ſuam ac flebat ſuper ſepulcrum Abner*, 2. Samuel. III, 32. Qvandoq; ob doloris impatientiam *dirumpebantur veſtes*, laceris partibus aliqvandiu relictis in terram pendulis, ut hac ratione etiam aliis conſtaret de interno dolentis animi affectu. Hinc *Druſius* ad loca Numer. c. 58. ait, *ſcindebant etiam veſtes in luctu aut dolore privato, & omninò ceremonia erat vetus, qvâ priſci illi homines cor ſuum dolore lacerari teſtificabantur. Hunc ritum omnibus ferè priſcis populis communem fuiſſe conſtat ex Homero, Virgilio & Herodoto.* Copioſiùs id oſtendunt *Kirchmannus* de F. R. lib. II. c. 17. *P. Faber* Semeſtr. Lib. II, c. 10. *Serarius* Comm. ad Eſth. fol. 330. *Sopranes* in Davide digr. 3. fol. 540. Sic veſtimenta ſua ſcindebat Jobus annunciatâ filiorum morte, Jobi I, 20. David ob mortem Saulis, chariſſimiqve Jonathanis 2. Sam. I, 11. itemqve ducis Abneri cap. III, 31. filiorumqve regiorum cap. XIII, 31. Experiebantur, autem violentam illam ſciſſionem modò pallium, ſive veſtis exterior, modò tunica, ſive veſtis interior, modò utraqve, vide *Dn. L. Geier*, tractatu de Luctu Hebr. cap. XXII. §. 11. ſeqq. *Maimonides* c. VIII. Efel. § 1. inqvit, *Lugens tenentur ſcindere ob mortuum ſuum, cum dictum ſit* (Levit. X, 6.) *& veſtimenta veſtra ne diſſuatis, ne moriamini, &c.* Porrò Romanæ mulieres ſolvere crines in funere ſolebant (qvò pertinet illud *Ovidii* lib. 2. faſtor. de Lucretiâ; *Paſſis ſedet illa capillis, ut ſolet ad nati mater itura rogum,*) imò verò etiam viri, ſi qvi comam alerent, vide *Kirchmannum* de Funer. Rom. lib. II. c. 12. *Alexander ab Alexandro* loc. cit. inqvit; *Apud Græcos convenit, in luctu viros comas alere, barbamq; capillumq; ſubmittere, mulieres verò tonſis crinibus eſſe.* Germani qvoqve veteres (teſte *Tacito* de moribus eorum) lugebant barbâ & capillo

pillo promiſſis. Ita hodierni etiam Judæi cognatorum lugentes mortem intra 30. dies neqve lavantur, neqve tondentur, teſte *Schindlero* in Lexic. v. פרע & *Buxtorf*, Syn. Jud. c. 35. Nec ſolùm circum colla fluitare atqve errare ſinebant capillitium, verùm etiam immitibus manibus lacerare atqve evellere ſolebant. Sic ob mortem matris *prima manu flavos Lavinia crines & roſeas laniata genas* conſpicitur apud *Virgilium* lib. XII. Æneid. Materqve Darii auditâ Alexandri morte, abſciſsâveſte, qvâ induta erat, lugubrem ſumpſit, *laceratisq; crinibus*, humi corpus abjecit, vide *Curtium* lib. X. Sic & Eſra ruptis veſtibus evellit etiam capillos capitis & barbæ, Eſræ IX, 6. Cinere qvoqve crines conſpergebant & terræ pulvere ſordidabant. Sic Priamus pulvere aſperſus Hectoris filii mortem luget, Iliad. ω. Hinc *Virgilius* lib. X. Æneid. *Canitiem multo deformat pulvere.* Idem alibi; *intonſus multo deturpat cinere crines.* Sic in Sacris conſpicimus Joſuam veſtimentis ob cladem laceratis ſuper faciem procidentem atq; unà cum ſenioribus populi cinerem capiti inferentem, Joſ. VII, 6. conf. 1. Sam. IV, 12. Qvandoq; etiam in acerbo funeris luctu crines ſibiipſis amputabant, & crinibus tonſis defunctos lugebant. De tonſione ſeu raſura virorum lugubri vi-

dendus *Kirchm.* Lib. II. de F. R. c. 14. ubi eam à plerisqve gentibus uſurpatam eſſe ait, & exemplis probat, confer *Alex. ab Alex.* lib. III. Gen. Dier. cap. 7. Imò Perſæ non ſibi ſolùm ipſis, conjugibus & liberis in luctu tondebant comas, ſed etiam jumenta atqve eqvos ſimili modo deturpabant, uti conſtat ex *Curtio* lib. X. *Herodoto* lib. 9. *Briſſonio* lib. 2. de Regn. Perſarum pag. 257. *Plutarchus* in vitâ Alexandri M. tradit, eum *in luctu Hephæſtionis eqvos, mulosq; totondiſſe.* Detonſos verò crines cum flebili vociferatione vel cadaveri imponebant, vel rogo inſpergebant Græci pariter ac Romani, in qvam rem latiſſimè itetum inqvirit *Kirchmannus* lib. 2. de F. R. cap. 15. confer *Alex. ab Alexand.* loc. alleg. *Alexandrum Sardum* de ritibus & moribus Gentium Lib. I. cap. 26. Sed num & Hebræi in luctu tonſi? Omninò. Producimus hìc primo loco Jobum, integerrimum Dei ſervum, qvi poſt dolores, anguſtiasqve maximas *ſurgit* tandem, *lacerat veſtes & tondet caput ſuum*, cap. I, 20. vel ſecundùm Coccejum, & *vellit capillum capitis ſui*, Jerem. XVI, 6. minatur Deus, qvod *neq; ob magnatum, neq; tenuium mortem* יִקָּרֵחַ *decalvabit ſe qvisqvam*, uſitatum ergò aliàs hoc fuit in populo DEI inter funera. confer cap. XLI, 5. Eſa. XXII, 12. Ezech. VII, 18. Mich.

Mich. I, 16. Memorat enim *Hieronymus* ad Jer. 16. de Judæis sui temperis ; *mos hic fuit apud veteres, & in qvibusdam permanet Judæorum usqve hodie, ut in luctibus incidant lacertos, & calvitium faciant.* Observat etiam *Paulus Fagius* ad Deuter. XIV, 1. calvitium fuisse factum vel resecando capillos, vel manu extrahendo, vel veneno corradendo. Nec hîc subsistit ab immodico mœrore imperata deformatio. Incidendæ etiam insuper erant genæ, dilacerandæ mammæ & membra cætera, vultusqve ipse cruentandus, ut sangvine plorarent. Refert *Rosinus*, lib. V. antiq. c. 39. in funeribus Gentilium receptum fuisse, ut nisi captivorum aut gladiatorum esset copia, lugentes ipsi suum laniatis genis effunderent cruorem, qvo sic demum satisfieret Inferis sangvinis conspectu. Qvod tamen lege XII. tabul. fuit interdictum, qvæ hæc habebat ; *mulieres genas non radundo.* Meminit *Petronius Arbiter*, in Satyr. matronæ Ephesinæ, cujus *facies ungvibus secta*, item *Qvintilianus* declam. X. mulieris, qvæ filium lugens sangvinantes ad judices porrigit lacertos, qvæ sciso laniatoqve vultu, qvæ lividis uberibus &c. *Theodoretus* in Lev. qv. 28. de Græcis inqvit ; *consveverant Græci radere barbam* (modò ergò tondebant, ut hîc ex Theodoreto, modò producebant barbam & capillos, ut suprà ex Alexandro ab Alex. audivimus) *cum aliqvem lugerent & genas incidere in honorem defunctorum ; nec non aliqvas corporis partes acu perforabant & nigro vestiebantur in reverentiam Dæmonum.* De Scythis refert *Herodotus* lib. 4. qvod in regum funere *aurem* (vel ut *Henr. Stephanus* in marg. ponit, *auris partem*) *decidant, crinem circumtondeant, brachia circumcidant, frontem nasumq; consaucient, sinistram manum sagittis trajiciant.* Sic & de Tartaris Circassis scribit *Adamus Olearius*, in Itin. Pers. fol. 523. illos in luctu dilaniare frontem, pectora & brachia, ut largè defluat sangvis. Cæterum non solùm Græcis, Romanis, Ægyptiis, Assyriis, Carthaginensibus, Scythis &c. usitatum, ut in mortuorum honorem & in mœroris argumentum carnem suam vel cultellis inciderent vel ungvibus lacerarent, vide *Alexand. ab Alexand.* loc. cit. sed etiam Judæis. Nihil enim tam proclive est, qvàm ut alii ad aliorum mores ac consvetudinem se conformantes, ultrò citroqve sua inter se communicent vitia, Jerem. XVI, 6. dicitur ; *Morientur magni & parvi, nec plangent eos, neq; וְיִתְגֹּדַד se incidet qvis.* גָּדַד est *turmatim convenit, depopulatus est*, & in hithpael הִתְגּוֹדֵד *seipsum incidit*, irruptionem qvasi crebram, & violentam fecit in seipsum, sive ungvibus, sive cultellis, instrumentisqve aliis. Unde colligimus, morem hunc incidendi aliàs in gente Judaica fuisse receptum & pervulgatum. Sed severè eum interdixit DEUS Lev. XIX. 28, וְשֶׂרֶט (à שָׂרַט, qvod Schindlerus exponit incidere ad sangvinem usqve lacerare scalpellô aperire, scarificare) *incisionem verò ob animam*, (i. e. propter mortuum) non ponetis in carne vestrâ, neqve figuras aliqvas aut stigmate facietis vobis, ait Dominus Levit. XXI, 5. *Sacerdotes in funeribus propinqvorum suorum in carne suâ non incident incisionem*, Deuter. XIV, 1. *Non incidetis vos, nec ponetis calvitium inter oculos vestros super mortuum.* Ad qvæ verba annotat *B. Lutherus* in Comm. h. l. tom. 3. Jenens. Latin. fol. 114. *Incisio hîc intelligitur non illa impressio stigmatum, de qvâ infra dicet, sed ritus qvidam funebris, qvô fortè Ægyptii & aliæ gentes faciem secuerunt & prociderunt, dum supercilia deraserunt in signum tristitiæ, &c.* Sed qvanqvam *incisio carnis* (verba sunt B. Chemnitii Examin. Concil Trident. in Historia Purgatorii cap. 2. *& evulsio capillorum in luctu mortuorum expressè prohibita erant Levit. 19. Deuteron. 14. Ex conversatione tamen inter Gentes Israelitis etiam Prophetarum tempore illa usurpari cœpta fuisse ex Jeremiæ cap. 16. non obscurè colligitur.* Adeoqve cum tandem adeò invaluisset præpostera hæc lugendi ratio, ut instar diluvii totam operuisset regionem sanctam ejusqve incolas, legisqve velut vires obtinuisset, inde tandem factum est, ut Prophetæ illinc crebras petierint loqvendi formulas, adhibitis non rarò etiam imperativis, ob rem scil. infallibiliter eventuram, usqve adeò, ut nisi qvis institutæ Dei immotæ meminerit firmitatis, existimare possit, Prophetarum istis locutionibus posterioribus, priora qvodammodo fuisse abrogata, ut benè observat Dn. L. *Geier* tractat. de Hebræor. Luctu cap. VII. §. 9. Scribit *Hieronymus* ad cap. 16. Jerem. incisionem hujusmodi luctuosam suo etiamnum seculo inter Judæos viguisse. *Maimonides* ait cap. 12. Afoda Sara §. 12. *Lanians se laniatu uno ob mortuum, vapulat* (juxta Levit. 16, 28.) *Par ratio Sacerdotis atq; Israelitæ alterius. Si laniarit se laniatu uno ob mortuos qvinqve vel laniatibus qvinqve ob mortuum unum, vapulat qvinqvies. Et qvidem tum demum, si unaqvaqve*

qve vice fuerit præmonitus. Taceo hîc manuum ſupra caput elevationem, retractionem, complosionem, pectoris & femorum percuſſionem in luctu gentilium & Judæorum freqventiſſimam. Lugentes enim, præſertim mulieres præ impatientiâ modò manus extendebant & elevabant, modò retrahebant, modò complodebant, modò pectora pugnis percutiebant. Atqve hujus θρηνοτυπίας principes erant Præficæ apud Romanos. Hæ enim cæteris modum plangendi præibant, ut ſupra dixi. Vide Dn. L. *Geierum* loc. ſæpè citato cap. 14. & 16. *Kirchmann.* de Funer. Rom. libr. 2. cap. XI. *Ravanellum* tom. 2. Bibl. tit. Pectus. n. IV. item percutere num. I. Deniqve & ornamentum omnem ponere Exeqviatores, more tam in Græciâ, qvàm Romæ uſitato, lugubriaqve vel mortualia induere ſolebant. Hinc *Livius*, Hiſtoriæ pater lib. XXXIV. *Qvid aliud in luctu, qvàm purpuram atqve aurum deponunt, qvid cum eluxerunt, ſumunt.* Et *Seneca* Conſolat. ad Helviam cap. 16. *Noſtis qvasdam, qvæ amiſſis filiis, impoſita lugubria nunqvam exuerunt.* Itemqve *Servius* XI. Æneid. *Lugentium mos eſt, prioris habitûs immutatio.* Sed ut à capite ordiar, privabant lugentes caput priore ſuo ornatu, & vel lugubri peplo aut tegmine involvebant, luctus, mœrorisqve causâ, vel nudum relinqvebant, idqve ſic nudatum vel tondebant, vel cineribus inſpergebant, uti ſupra dictum. Romanorum filii velatis, filiæ verò apertis capitibus, paſſoqve crine in funus prodibant, teſte *Plutarcho*, in qvæſt. Rom. probl. 14. Darium, mortuam uxorem lugentem *diu capite obvelato fleviſſe*, ſcribit *Curtius* lib. 4. Sed & Sponſæ Gentilium flammeo tegebant luteo caput, genasqve, cum ad maritum ducebantur, unde *Nuptiarum* hodieqve manet nomen. *Nubere* enim apud priſcos idem eſt, qvod *operire, tegere.* Hinc & *Nubes* dictas Varro aſſerit, qvod cœlum tegant. Vide *Hotomannum* de Veteribus Nupt. ritib. cap. 15. Repetimus etiam apud Hebræos tectum in luctu vultum. Sic David, 2. Samuel. XIX, 5. *filium lugens Abſolomum, operuit caput ſuum*, & ſuum illud funebre lamentum iterabat, *Abſalom, fili mi.* Addit R. David Kimchi; *qvia ſic moris erat lugentium, operire ſemetipſum.* Ezechiel. XXIV, 16. ſeqq. interdicitur Prophetæ viduo ritus lugentium his verbis, *non planges, nec flebis, —— mortuorum luctum non facies, corona tua circumligata ſit tibi.* Coronam hanc de tæniis, vittisqve tenuibus,

nuibus, qvæ tempora ligabant, in modum coronæ capillos cingentes, cum ſine pileis incederent Hebræi, intelligit *Sopranes* in Davide Digr. 1. fol. 361. ſeq. qvam ipſam porrò coronam in luctu exiſtimat depoſitam, ita ut vel coma tonderetur, vel pulvere aſperſa liberè flueret. *Hieronymus* verò per coronam ipſam comam intelligit, hunc locum ita exponens; *Habebis comam, qvæ tondetur in luctu.* Et ſtatim, *Nos autem juxta Septuaginta, coronam, capillorum intelligamus cæſariem.* Additur porrò apud Exechielem; *neq; obveles barbam;* פְּאֵר *eſt totum labritium*, inqvit *Mercerus* ad Pagn. Lex. i. e. *qvidqvid infra naſum continetur etiam cum mento* &c. Totum itaqve barbæ ſpatium in luctu fuit opertum, qvod etiam Flacius obſervat in Clave, voce Panis; *In funebri*, ait, *luctu os tegebant panno lineo, & caput involvebant, præſertim in publicum prodeuntes.* Maimonid. cap. 5. Efel. §. 19. inqvit, *unde eſt, qvod lugenti prohibita capitis nudatio? nimirum, qvia Ezechieli dictum; non operias barbam. Prorſus itaq; lugentes reliqvi tenebantur operire caput. Et qvidem ſudarium ſeu linteum illud, qvo operiebant caput ſuum, operiebat etiam ex parte labium lugentis, juxta qvod dicitur, barbam operies, ubi* Ὄψεαι *declarat: ſicut lugens ſe operit.* Etiam apud nos in qvibusdam urbibus non ſolùm fæminæ linteis candidis, ſed & viri nigris, pellucidisqve faciem velati tegminibus honoratiorum funera comitantur, ut cuiqve notum. Jam ad reliqvi corporis lugubria tegumenta progredior. Erant ea plerumqve coloris nigri, qvi color luctui & triſtitiæ ſemper habitus fuit convenientiſſimus. *Pullus veſtium color ſive olim, ſive hoc tempore ferè funeribus dedicatus*, inqvit *Bonfrerius* Comm. in Deuter. cap. XXI. v. 12. *Magnâ ex parte lugentium & aliorum, qvi funus ſeqvebantur veſtitus pullus, i. e. niger erat*, inqvit *Tiraqvellus* in Alexand. ab Alex. loco ſæpius adducto pag. 307. *Pullâ veſte amicti erant* in funere Auguſti Tiberius & Druſus, teſte *Dione* Lib. LV. *Atrata plebs* in exeqviis Germanici. *Tacit.* libr. III. Ann. Nec Viri ſolùm, ſed & fæminæ pullatæ, & atratæ (Græci vocant μελανομενιδας) priſcis temporibus veniebant exeqvias. Sic enim *Dionyſius Halicarnaſeus*, Hiſtoricus bonus, Rhetor ac Criticus nobilis, qvo curatiùs tempora nemo obſervavit (judice *Scaligero* in animadverſionibus Euſebianis) operis ſui, qvod ipſe ἀρχαιολογίαν Ρωμαϊκὴν appellat lib. VIII. *Romanorum matrona,*

tronæ, ut mos eſt, illis in luctu domeſtico & neceſſariorum funeribus, depoſito auro & purpurâ, cæteroq; ornatu atratæ ipſum per annum integrum luxerunt. Qvæ verò deinceps veſtes in luctu erant, iisdem in funus prodierant. Poſtea & color albus ſignum luctus eſſe cœpit Romæ, allatis aliis ex peregrinis regionibus coloribus; unde *Herodianus* literis conſignavit, fœminas Romanas in exeqviis Imperatoriis veſtibus candidis fuiſſe uſas, *Juſtus Lipſius* ad Libr. II. Annal. Taciti tradit, qvod fœminæ Romanæ florente priſcâ republ. uſæ fuerint in luctu *nigris* veſtibus, *albis* verò, ſub Imperatoribus republic. extincta, in adoleſcentum funeribus cæruleam veſtem freqventes induiſſe Romanos ex Catone docent *Cœlius Rhodiginus* Lect. Antiq. lib. 17. c. 21. & *Alexand. ab Alex.* Genial. Dier. lib. III. cap. 7. Græciæ mulieres in luctu nigro amiculo contectas fuiſſe, clarè proponit *Ardemidorus* lib. III. cap. 3. qvanqvam *Alexand. ab Alex.* loco jam alleg. *apud Græcos fœminas, virosq; in candidâ veſte cum coronis amplisſimi viri exeqvias proſeqvi,* aſſerat. Refert idem eodem loco, Syracuſanis etiam fuiſſe in more, ut candido amictu velati & fronde coronati efferrent mortuos; Argivos qvoqve in luctu albas veſtes aqvâ ablutas induiſſe & in candido amictu funus comitatos eſſe. Album colorem etiam hoc tempore apud Chinenſes in luctu funebri adhiberi, ait *Bonfrerius*, Com. in loc. cit. *Diodorus Siculus* de Carthaginenſibus refert, eos inſigni affectos clade civium præſtantiſſimorum in luctus publici ſignum ſolitos fuiſſe, muros civitatis nigro circumdare panno. Sic & hodie, ad majoris luctus demonſtrationem, Imperatoris, Regum, Electorum, aliorumqve Principum mortuorum palatia, vel certè præcipua eorum loca veſtiuntur panno coloris atri, more vetuſtiſſimo, & alias qvoqve apud Gentes uſitato, Judæos mutaſſe veſtes in funeribus ſuorum, aſſumptis eis, qvæ luctui funebri convenirent ex Ezech. XXVI, 16. colligi poteſt; *Veſtimenta ſua varia abjicient, & induentur ſtupore,* i.e. inqvit Menochius Com. in h.l. *veſtem ſuam acu pictam deponent, & induentur veſte lugubri, qvalem aſſumunt, qvi præ dolore qvodammodo ſtupent.* Sanè David ſe dicit incedere קודר pullatum, qvaſi qvilugeret matrem Pſ. XXXV, 14. ubi Ebræam vocem Kadar non niſi tenebricoſum obſcurumqve deſignare poſſe colorem, exemplis probat *Dn. L. Geier* loc. ſæpius alleg. cap. XXII. §. 5. p. 401. Vide *Lorinum*

rinum ad Pſalm. 34, (35.) 14. *Mart. de Roa* part. 2. ſingul. l. 2. c. 2. p. 152. ſeqq. *Menochium* lib. 8. Reip. Hebr. c. 6. qvæſt. 5. qvi omnes in colore nigro lugentibus Hebræis uſitatô, conſentiunt. *Bonfrerius* verò Jeſuita loc. alleg. dubitat, an certus ei rei color fuerit dedicatus, cum nec Scriptura nec Joſephus uſpiam id indicet, qvin potius, ſolis veſtium ſordibus, vel ſordidato duntaxat habitu luxiſſe Judæos in funeribus autumat. *Buxtorfius* Synagog. cap. 35. pag. 433. inqvit, Judæi moderni *pullis veſtibus in luctu non utuntur, ſed veſtes illas, qvibus obitus tempore qvis indutus fuit, nec ullas alias, toto luctus tempore per integrum ſcil. annum geſtare tenetur.* Mutabant & Chriſtiani olim in luctu ac funere veſtes. Tertulliani diſcipulus, ſed Magiſtro ipſo major, *Cyprianus*, in ſermone de mortalitate meminit ātri ſeu lugubris veſtitûs, qvem in funere cognatorum ſuperſtites induebant. *Mortuo Chlodoberto Chilperici Regis filio, viri lugentes, mulieresq; lugubribus veſtimentis indutæ, ut ſolet in conjugum exeqviis fieri, in hoc funus prodierunt*, ait *Turonenſis* lib. V. Hiſtor. Franc. cap. 34. Redeo ac victorem Orbis populum. Ductabatur Romæ pompa funeris, ſi paullò illuſtrior, meritisqve in Rempub. inſignis fuiſſet defunctus, primùm in forum ad Roſtra, ibiqve locabatur. Aderat mox, ſi perætatem licebat filius, vel ſangvine junctorum unus, aut in defectu eorum, alius vir doctiſſimus, qvi defuncti præconia oratoriè perſeqvebatur. Tiberius, ut *Svetonius* fidem facit, novem annos natus erat, qvum pro Roſtris defunctum patrem laudaret. Primus autem *Valerius Poplicola* Brutum mortuum funebri oratione laudaſſe fertur pro Roſtris, anno primo poſt Reges exactos. Vide *Plutarchum* in Poplicola, *Roſinum* Antiq. Roman. Lib. V. cap. 39. & inprimis *Dionyſium Halicarnaſſeum* lib. V. de origine hujus ritûs eruditè diſſerentem. Dubitat verò ibi eruditiſſimus Scriptor, *utrum Valerius primus hunc morem apud Romanos inſtituerit, an inſtitutum à regibus ſecutus fuerit?* Hæſitat qvoqve *Livius* Lib. II. extiteritne apud Romanos earum orationum inventor. *Qvod tamen hoc ſit Romanorum vetus inventum,* addit Dionyſius, *in funere illuſtrium virorum, virtutes eorum laudari, neq; à Græcis primùm inſtitutum fuerit, ex communis hiſtoriæ ſcriptis didici*; Idem eodem loco teſtatur, ſerò Athenienſes has laudationes funebres, qvas ἐπιτάφιους λόγους vocant, cæteris funeris ritibus addidiſſe.

didisse. *Anaximenes* tamen orator hujus instituti autorem fuisse Solonem, literis prodidit, teste *Petro Fabro* Semestrium Libr. III. cap. 13. p. 176. Adeò autem illam Poplicolæ, defuncti collegæ laudationem atqve commendationem placuisse populo Romano, refert jam dictus *Petrus Faber*, ut ab eo tempore consvetudine receptum fuerit, ut præclarorum virorum mors funebri oratione decoraretur. Habebatur qvidem is honos primùm solis viris, translatus verò deinde etiam est ad fœminas. Sic Julia Augusta *laudata est pro Rostris à C. Cæsare pronepote, qvi mox rerum potitus est*, ut refert *Tacitus* init. libr. V. Annal. Caligula suam aviam *defunctam etiam prætextatus pro Rostris laudavit*, teste Svetonio cap. X. *Fuitq; in usu apud Ægyptios*, (verba adnumero *Alexand. ab Alex.* loc. all.) Rege *defuncto anteqvam justa dentur, per Sacerdotem, qvi proximam tenebat dignitatem, omnem vitæ seriem, & ipsius dicta factaq; & an fuerit fortissimè prœliatus, an verò segnis ac deses ex alto suggestu in maximo omnium conventu perlegi & recensseri: & si vitia prævalebant, honore funeris privari, atqve insepultum cadaver abjici. Si verò virtutes præcellerent, omni honore cumulari, ungventis deliniri & laudibus celebrari.* Idem, paulò aliter tamen ex *Steph. Pasqvierio* refert *Limnæus* de Jure Public. Imp. Rom. Tom. I. Lib. II. cap. XII. num. 7. Ita enim ille: *Apud Ægyptios olim Regis demortui corpus omnium exponebatur adspectui, ea cuiq; data licentia, denati in laudem, qvæ ab ipso laudabiliter gesta, juxtaqve in vituperium contraria, exponere. Qvod si vituperantium voces & numerus major deprehendebatur, eâ in contingentiâ, sepultura denegabatur corpori. Hoc reges omnium timebant maximè, tum propter ignominiam, tum qvod communi errore sibi persvasum haberent, animas hominum vagas usq; persistere, donec consvetis ceremoniis sepulturæ traderetur corpus, proindeq; ne perpetuæ huic pœnæ subjicerentur, omnem movebant lapidem, ut rectè agendo, nullius in se concitarent odium.* Judæi, ubi ad sepulchretum pervenerunt, propter sepulchrum feretrum humi deponunt, sepulchrum circumeunt, & longam admodum precem recitant hodiè, qvam, צדיק הדין *justificationem judicii* vocant, vide *Buxtorfium* Synagog. Judaicæ cap. XXXV. *Schickardum* de Jure Regio Hebr. cap. VI. Sunt qvi existimant, in verbis Prophetæ Esaiæ LVII, 1. *Justus perit, & non est, qvi recogitet* &c. describi

scribi Concionem funebrem, qvam Esaias Regi Ezechiæ piè defuncto habuerit. Christianos defunctorum gratiâ Orationes instituisse, ex antiqvorum Patrum scriptis notum est, in qvibus complures tales inveniuntur. *Dionysius*, qvi Areopagitæ titulum præfert, describens ritûs Christianorum sui temporis circa mortuos cap. 7. Ecclesiasticæ Hierarchiæ pag. 218. Edit. Paris. An. 1562. defunctum ante humationem ad Pontificem in loco sepulturæ consistentem deferri, inqvit, qvi εὐχαριστήριον εὐχὴν, *precem complectentem gratiarum actionem* super eum peragit, (qvem ritum etiam tangunt *Gregorius Nyssenus* in funere Macrinæ Virginis S. *Augustinus* lib. 9. Confess. de funere matris suæ Monicæ) *finita prece osculo salutat Præsul defunctum, qvod & reliqvi, qvi præsentes sunt, faciunt* (Qvod ipsum tamen seculò septimo improbavit Concilium Antisiodor. can. 12. *non licet mortuis nec Eucharistiam nec osculum tradi &c.*) *deinde oleum ipsi infundit* (qvæ alibi non fuisse usitata observat *B. Chemnitius* Exam. Concil. Triden. parte III. cap. V. in Historia Purgatorii) *prodit postea præcipuus ex ministris, qvi dimissis Catechumenis, Sanctosq; jam mortuos concelebrat, & pari laudatione modò vitâ functum prosequitur, hortaturq; omnes, ut sibiipsis identidem postulent beatum in Christo excessum.* Habemus hîc specimen Orationum ac laudationum funebrium. Confer *Socratem* libr. V. Histor. cap. 9. ubi Gregorius in funere Meletii Antiocheni orationem habuisse dicitur. Omnes verò istas orationes funebres, qvæ in scriptis Patrum extant, habitas esse ipso die sepulturæ, & ad ipsum sepulturæ locum nemo affirmaverit. Sufficit nobis hoc Concionum funebrium institutum fuisse S. Patribus admodum usitatum.

CAPUT VII.

De ipsa Funeratione.

ROmani finitâ oratione & commendatione defuncti, per forum extra urbem, si comburendus erat mortuus (hoc enim cuiqve liberum erat, teste *Rosino* Antiqvit. Rom. Libr. V. cap. 39.) funus rectà deportabant in locum cremationi destinatum, qvi modò conjunctus erat cum sepulcro, modò ab eo separatus. Deportatum unà cum ferali lectulo Rogo vel Pyræ lignis, *lege XII. Tabular.*

non dolatis extructæ & cupressis aliqvando, gravem ustrinæ fœtorem jucunditate odoris comprimentibus, devinctæ imponebant, oculis iterum patefactis. *Morientibus enim oculos operire, rursusq; in rogo patefacere, Qviritium magno ritu sacrum est*, inqvit *Plinius* N. H. lib. XI. c. 37. Ipsi mortuo sangvine proximi (qvorum vicem subibant in funere Imperatorum Consules & Magistratus) facie aversa pyræ facem accensam inferebant. Rogo jam incenso (in imperatorum ac illustrium virorum funeribus) militum turba plebsqve cætera siniſtro gyro ter circumcursitabat & Præficæ h. e. planctuum principis fletibus respondebat. Ritum hunc tangunt *Homerus* & *Virgilius*, ille Græcorum, hic Latinorum poetarum pater ac princeps. Ille Iliad. Ψ.

Οἱ δὲ περὶς πυρὴ νεκρὸν εὔτειχας ἤλασαν ἵππους
Μυρόμενοι.

Hic libr. XI. Æneid. in funere cæsorum Trojanorum imprimis Pallantis.

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrêre rogos, ter mœstum funeris ignem
Lustravêre in equis ululatûsqve ore dedére.

Talis Decursio funebris, Græcis περίδρομη facta est in funere Augusti, *Dio* lib. LVI. Syllæ, *Appian.* lib. I. bell. civilium. Pertinacis, *Xiphilin.* in Severo & ipsius Severi, teste eodem ibidem. Cæterum & Græcos cadavera rogo imposita combussisse notum est. In populo verò Hebræo morem illum Gentilium comburendi cadavera usitatum fuisse, non legimus. Neqve enim is igni, sed terræ, omnium matri committebat mortuos suos. Hinc *Calvinus* Com. in 1. Sam. cap. XXXI, 12. *Inusitatum erat*, inqvit, *apud Judæos igne cremare corpora: qvandoqvidem Patres sepultos fuisse & humatos non crematis corporibus, scimus.* Imò *ignominiosum fuit, qvod Josias ossa hominum sepultorum in altari Bethel cremavit*, 2. Reg. XXII, 20. In contrarium nonnulli afferunt, 1. *exempla* v. g. *Saulis & filiorum ejus*, qvorum cadavera ex muro Bethsan sublata combusserunt Jabesitæ, auferentes postmodum ossa & cineres, eademqve sepelientes 1. Sam. XXXI, 12. 13. *Jorami*, 2. Chron. XXI, 19 *mortuus est infirmatus malis & non fecerunt ipsi populus ejus combustionem, secundum combustionem patrum ipsius. Asæ*, regis cap. XVI, 14. *Posuerunt eum in lectica, qvam repleverant aromatibus & speciebus* h. e. aromaticis

ticis speciebus, *operi pigmentario confectis & combusserunt ei* (propter eum, *Münsterus*, bustum ei fecerunt, *Tigurini*) *combustione magnâ valdè.* Idemqve *Sedechiæ*, Jeremiæ XXXIV, 5. *In pace morieris, & secundum combustiones patrum tuorum, regum priorum, qvi fuerunt ante te, sic comburent tibi. 2. dictum* Amos VI, 10. *Et tollet eum* (domi mortuum) *patruus ejus & cremabit eum* (vel juxta alios, *& avunculus ejus*) *ad educendum ossa de domo.* Unde *Abulensis* 1. Reg. XXXI. qvæst. 18. contendit, carnes principum virorum, (de vulgaribus enim cadaveribus aliam fuisse rationem conceditur,) comburi solitas, ne putrescerent, & gravem ex se fœtorem emitterent, ossa verò, qvæ à tabe & vermibus libera sunt, mandari sepulturæ. Vel eatenus combustionem in funere regio receptam censet, ut solummodò amburerentur, ut ita diutius odorem conceptam cadavera suffitibus afflata retinerent. Verùm exemplum Saulis, qvo maximè nititur *Abulensis*, rem non conficit, Est enim in Saulis ἀκεφάλῳ cadavere, filiorumqve ejus corporibus peculiaris ratio, ex qva nullo modo conjectare licet, solenne fuisse apud Judæos, comburi Regum carnes & ossa sepeliri. Malè habita illorum cadavera à Philisthæis fuerant, itaqve incolæ jubes Gilead nocteqvadam excurrunt, Philisthæis ea eripiunt, & ne denuò novam illis inferrent ignominiam eademqve effossa malè tractarent, flammis absumsêre. *Casp. Sanctius* Comm. in h. l. aliam affert rationem; *Cum aliqvot dies*, inqvit, *ut necessarium videtur, ex historiâ, cadavera illa pependissent in muro, aspirabant jam gravem aliqvem & intolerabilem halitum, qvem nec ipsi, qvi ex muro sustulerant, ferre possent, neqve alii ad carnes illas regii cadaveris fœtentes & putridas exeqviales honores obire sustinerent. Qvare commodum visum est, imò & necessarium nudare carnibus ossa, qvibus in patria Regio more parentarent, & carnes incendio consumere, ne qvid secum tetrum & fœtidum adducerent, qvod Regi futurum esset ignominiæ.* Hæc ille. Alias deniqve Adm. Rever. *Dn. Lic. Geier* de Hebræor. Luctu cap. VI. §. 4. hujus facinoris profert causas; postqvam enim eam, qvam nos primo loco diximus, attulisset, inqvit, *vel saltem Jabesitæ peculiare qvid, gentibusq; aliis conforme exeqviarum genus elegerunt circa primum hunc regem, qvalem antehac neminem Israëlis populis habuerat, cujus proinde tumulandi rationem genuinam videntur*

videntur conjicere adhuc non satis potuisse; accedit, qvòd aliàs iidem hi Jabesitæ non parùm à reliqvis se alienos præbuerint Israelitis, adeò, ut cum urbes universæ atq; singulæ ad expugnandos Benjaminitas convenerint, hi tamen cives soli se subduxerint Judic. XXI, 8. ut hac ratione non exiguam singularitatis aut cum gentilismo collusionis suspicionem de se præbuerint. Qvid itaqve mirum, si cum primo hoc Israelis rege inusitatum qvoq;, aut vicinis fortè gentibus receptum sepulturæ genus introducendum sunt arbitrati. Qvod concernit exempla Jorami, Asæ & Sedechiæ, non dicitur in fonte, *combusserunt* אֹתוֹ *ipsum*, (sicut 1. Sam. XXXI, 12. de cadaveribus Saulis, filiorumq; ejus dicitur, combusserunt אֹתָם illa) sed לוֹ *ei*, qvod idem est, ac *combusserunt in honorem ejus*, vel *propter* aut *super eum*. Rectè Lutherus; Sie machten über ihm einen Brand / item, sie machten ein sehr groß brennen / &, wie man über deine Väter gebrennet hat / so wird man auch über dich brennen. Non itaqve ipsum corpus Asæ Regis, sed aromata super eum combusta sunt. *Nonnemo interpretum*, ait *Schickardus* de jure Regio Hebræor. cap. 6. *opinantur, corpus* (Asæ) *cremasse* (Hebræos,) *at ego lectum cum aromatibus tantum deflagrasse statuo, qvia eodem V. ipsum* cadaver disertè humatum esse dicitur. Hinc *Estius* h. l. *combusserunt* scil. *odoramenta, super eum.* Et Tirinus; *Et combusserunt super eum*, Hebraicè, *ei combusserunt*, supple, inqvit, *aromata, qvæ supra & juxta cadaver continuò exurebantur. Unde patet, non tam ipsum cadaver apud Judæos, qvàm juxta cadaver aromata comburi consveviſſe, ut multis exemplis docet Gaspar Sanctius & alii.* Sic qvoqve promittit Sedechiæ Dominus; *Secundum combustiones patrum tuorum, regum priorum, sic comburent tibi*, i.e. sic adolebunt in exeqviis tuis aromata & facient ustiones odorum captivi Judæi in honorem tuum, teqve tanqvam regem suum justis funebribus proseqventur. Qui honor denegatur Joram 2. Chron. XXI, 9. Intactis ergò corporibus hæc aromatum ustulatio peracta fuit apud Judæos, adeoque magna diversitas est inter Hebræa & Romana busta. Hebræi thura cremabant & suffimenta alia, ipsaque supellectilia tantùm & quidem in solius magnatis, puta Regis & Rectoris Synedrii funere, ut postea audiemus, Romani verò ipsa corpora comburebant. Apud Amosum vocem מִסְרְפוֹ, quæ nusquam aliàs in S. Codice occurrit, quamque

que aliqui reddunt, *aut crematur ejus*, R. Nathan exponit per אַחֵי אִמּוֹ *fratrem matris ejus*, unde etiam *Lutherus*, sein Vetter und sein Ohme. Quod & *Schindlero* placuit in Lexic. Et licet מְסָרֵף idem sit, quod מְשָׂרֵף *comburens*, ob cognationem, alternationemque illarum literarum, nec tamen inde sequetur Romana cadaverum crematio. Nam מִסְרְפוֹ idem est ac מְשָׂרֵף לוֹ *cremans illi*, vel in honorem ejus pro more adolens thymiamata inter sepeliendum aut efferendum, ne pestilenti odore incestarentur, ut loquitur *Coccejus*, præsentes. *Vide Dn. L. Geier* loc. alleg. Regredior ad morem comburendi Gentilium. Galli etiam & Romani comburebant defunctorum corpora, ut de illis *Cæsar*, de his *Cornel. Tacitus* testatur, sed Christianismo invalescente mos iste penitus est sublatus & pœnæ loco habitus. Hinc *Pererius* in cap L. Gen. num. 4. *Apud Christianos ejusmodi mortis genus probrosæ & infamis pœnæ loco, nefandæ libidinis & obstirmatæ hæreseos reis infligitur.* Observat etiam *P. Martyr* ad 1. Sam. 31, 13. *eam comburendi rationem à Christianis nunquam receptam esse.* Porrò antiquissimis temporibus varia pecudum & animalium genera, defuncto in vitâ charissima ad rogum mactata, ignibus injiciebantur apud Gentiles. Quod nec *Homero* incognitum, & *Plinius* Epistolarum scriptor testatur libr. IV. Epist. 2. *Habebat puer*, (Reguli filium intelligit) *manulos multos & vinctos & solutos, habebat canes majores, minoresq;: habebat luscinias, psittacos, merulas; omnes Regulos circa rogum trucidavit.* Aliquando & vivi homines, puta captivi vel servi in societatem illustris cadaveris immolati & concremati leguntur, de quo ritu *Tertullianus* libr. de Spectaculis C. de munere. *Nam olim qvoniam animas defunctorum humano sangvine propitiari* (nota causam crudelitatis) *creditum erat captivos vel malo ingenio servos mercati in exsequiis immolabant.* Gallis quoque solenne erat in ignem inferre, quæ vivo cordi fuisse putabant, animalia, servos, clientes, teste *Cæsare* lib. VI. bell. Gall. De antiquis Germanis inquit *Tacitus*, libro de moribus Germ. *Funerum nulla ambitio, id solum observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur, struem rogi nec vestibus, nec odoribus cumulant, sua cuiq; arma, quorundam igni & equus adjicitur*, equus non vivus, sed ante jam mactatus, teste *Cæsare* loc. jam cit. Vide *Cluverii* Germ. Antiq. Lib. I.

cap. LIII. p. 333. seq. arma autem unà cremabantur, utpotè pretiosissima atque charissima Martiæ genti bona, per quæ claritatem adepti erant. Descriptio regni Africani Gvineæ, quæ primùm à Batavis edita, refert; regni ejus incolas alterum credentes mundum maximam suppellectilis partem defunctis adsignare, ut quocunque venirent, haberent, quod ad usus quotidianos necessarium esset. Singulos item nobiles, qui in aulâ Regi ministrarunt, ei defuncto mancipium aliquod largiri, cujus ministerio in altero mundo utatur, alii alios, uxores etiam & filios in servitium ei mancipare simulque sepelire. Vide den VI. Theil der Orientalischen Indien c. XLIII. & XLIV. p. 107. 108. 109. *Thauri, gens Scythica, cum regibus extinctis gratissimos eorum amicos unà sepeliunt*, inquit *Kornmannus* de Mirac. Mortuor. part. VIII. cap. 4. idem ait cap. 7. *Scythæ pop. ut Plutarchus refert, cum mortuis regibus pincernas, cocos & pellices sepeliunt. Credo ne quid necessarii officii post obitum eis desit.* Quidam etiam spontaneo vivicomburio præ nimio amore erga defunctum vitam finire non recusabant. De Indicis mulieribus præter alios authores id affirmat *Cicero* V. Tuscul. *Mulieres verò in India, cum est cujusq; earum vir mortuus, in certamen judicium que veniunt, quàm plurimùm ille dilexerit. Plures enim singulis solent esse nuptæ, quæ est victrix, ea læta prosequentibus suis unà cum viro in rogum imponitur: illa victa mœsta discedit.* Eundem morem Thracibus quoque adsignat *Pomponius Mela*, scriptor principibus Latinorum accensendus (juxta *Barthium* Adv. lib. XV. c. 6.) lib. II. de Situ Orbis cap. 2. *Nec fœminis quidem segnis est animus super mortuorum virorum corpora interfici, simulq; sepeliri votum eximium habent: & quia plures singulis nuptæ sunt, cujus id sit decus apud judicaturos magno conamine affectant.* Dicit hîc Mela, *super mortuorum virorum corpora interfici, non segnem fuisse fœminis animum*, quod explicans *Solinus cap. XVI.* inquit, *Fœminas insilire defunctorum conjugum rogos.* Sed integra ipsius adscribam verba; *Uxorum*, inquit, *se numero viri jactant; & honoris loco ducunt multiplex conjugium. Quæ fœminæ tenaces sunt pudicitiæ defunctorum insiliunt conjugum rogos, & quod maximum insigne ducunt castitatis, præcipites in flammas eunt.* De quibusdam etiam fœminis Romanis idem testatur Romanus Sapiens lib. II. declam. 2. *Quædam se maritorum rogis ar-*

gis ardentibus miscuerunt. Sed addam cætera. Apud Romanos, Græcosque qui funus sequuti & imprimis, quibus maximè in amoribus fuerat mortuus, vestimenta sua detracta, nonnulli arma, enses, balteos, mulieres, armillas, Zonas vittasque & cætera hujusmodi, in rogum conjiciebant, quæ peculiari nomine Δῶρα, *Munera* dicebantur, vide *Svetonium* in Cæsare cap. XXCIII. confer & *Alexandr. ab Alex.* Gen. Dier. lib. III. c. 7. *Kirchman.* de F. R. lib. III. cap. V. Item thura & unguenta, odoresq; omnium generum, quos lancibus interdum ferebant, igni injiciebant. Hinc *Sixtinus Amama*, in Antibarbar. Bibl. lib. IV. pag. 738. *Apud Romanos*, inquit, *in ambitiosis funeribus & exequiis, quæ μὴ πολλῆς θαυμασίας peragebantur*, una cum ipsis cadaveribus magna aromatum vis flammis absumpta fuit, sicuti in funere Neronis. Qui in funere quoque suæ Poppeæ plus cinnamomi & casiæ combusisse dicitur, quàm universa Arabia uno anno ferret, Plin. XII. 18. Nec absimilis Israelitarum mos, qui super Lectis defunctorum Regum aromata adolebant, ut ex Sacrosancta Vetusti Fœderis Historia locis supra allegatis constat. Exemplum quoque hujusmodi sepulturæ refert *Josephus* Antiq. XVII. 10. & de Bello Jud. I. ultimo, ubi de funere Herodis, *hoc sequebantur D. ministri aromata ferentes.* Et plenius *Josippus* de eodem; *Quinquaginta ministri ad latus feretri gestabant totidem aurea thuribula, lignum odoriferum ustulantes maximâ copiâ & myrrham purissimam continuè in lectum injicientes.* Comburebant etiam super Reges & Synedrii Rectores supellectilia & utensilia eorum, *non illi parcebatur Sindoni* (verba sunt *Schickardi* de Jure Regio Hebræorum cap. VI. theor. 19. p. 164.) *non pretiosis peristromatibus, non aulæis, non cervicalibus; ipsæ sellæ regales &c. cremabantur; Solum sceptrum & corona non conflabantur, sed recondebantur unà cum cadavere, prout suprà in Herodis funeratione memorawimus.* Sic quoque *Maimonides* ultimo totius tituli Efel. (cap. 14. §. 26.) paragrapho; *Si rex aut princeps moritur, comburendus est ejus lectus, omnisq; supellex, quâ ministratum fuit ipsi.* Idem in tractatu Melachim cap. 2. §. 1. *non utuntur ullâ supellectile regali, sed cum ille moritur, comburunt universam comm ipso.* Cum privato verò defuncto suppellectilem, quâ in ægritudine usus fuerat vivus, sepelire Judæos, *Schickardus* docet loc. alleg. verbis præceden-

cedentibus. Verùm hujus consvetudinis in historiâ V. & N. T. nulla extant vestigia, sequiori ergò ævo eam obtinuisse hinc manifestum est. Refert insuper *Casaubonus* Exercitat. XVI. num. XCVII. ex jam dicto Mose Maimonide, *unà cum supplicio affectis ipsa supplicii instrumenta apud Judæos fuisse sepulta, veluti lignum, super quo fuit aliquis suspensus cum ipso suspendioso, lapis cum lapidato, gladius cum occiso, sudarium sive mantile, cum strangulato.* Sic quoque cum Martyribus Christianis defossa nonnunquam unà fuerunt supplicii instrumenta. Sic repertum corpus S. Clementis, Episcopi Romani unà cum anchorâ, quâ illi ad collum alligata, demersus fuit in mare, videatur *Baronius* tom. II. Annal. an. 102. ejusque Epitomator, *Spondanus* ad eundem annum num. II. Refert etiam S. *Ambrosius* exhortatione ad Virgines in princ. tom. 5. sumpsisse eum à sepulcro S. Agricolæ crucem & clavos, quibus fuit ille cruci affixus. Qvin imò etiam plurimi martyrum jusserunt sepelienda sua corpora unà cum instrumentis martyrii; Sic Sabinus Episcopus Spoletinus & martyr jussit sepeliri unà cum saxo, quo erat demergendus in flumen, ut testatur *Surius* tom. II. die 13. Martii. Nec non S. Babylas, Episcopus Antiochenus cum vinculis & catenis, in quibus post fidei confessionem vitam mortalem deseruit, sepeliri voluit, referente *Henric. Spondano* ad An. Ch. 253. num. XX. confer *Joh. Baptistam Casalium* de Veter. S. Christian. ritibus cap. LXVI. p. 267. Denique Romani, ut & Græci ustulato, qvantum satis erat corpore rogum & reliquias vino respergenres, puto, ut flammas prunamque favillis sopitam exstingverent, ossa legebant amici & propinqui. Quod munus *Ossilegium* dicitur. Vide, si lubet, *Tibullum*, libr. III. Eleg. II. elegantissimè omnes Ossilegii ceremonias describentem. Sed ut commodiùs legi possent ossa, lapideæ arcæ inditum fuisse cadaver, refert *Schedius* de Diis Germ. pag. 453. Collecta ossa & cineres vino, *lacte, odoribus*, imò etiam lacrymis perspersa & irrigata & linteo ventilata vasculis pro cujusque facultate pretiosis includebant, (quæ Græcis ὀστοθήκαι vel ὀστοδοχεῖα, Latinis verò *Urnæ*, item *Ossuaria* & *Cineraria* dicebantur,) & monumento inferebant. Qui verò non comburendus erat defunctus, statim in arcam vel loculum, ad hoc ipsum paratum, locabatur, unà cum omni isto ornatu sepulcrali, quo erat per forum domo exportatus, conjectis in monumentum, ut ante in rogum, vestibus & aliis ornamentis. Situs verò & status mortuorum in sepulchris diversimodè fuit observatus. Ægyptii ponebant defunctos suos stantes in pedes, ut canit *Solinus:*

——Ægyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxo Corpora.

Phryges non defodiunt mortuos sacerdotes, sed supra lapides X. cubitorum erectos eos statuunt, inquit *Kornmannus* de Miracul. Mortuor. part. VIII. c. 4. Phœnices sepeliebant *supinos*, ast convertebant ad Occasum, (tanquam animâ ac corpore occiduos) Athenienses versus Orientem. Nasamones, Africæ populi, majorem partem non tantum *sedentes* expirare, sed etiam hoc situ humari volebant. Hinc Lacon quidam, cùm homines defunctos in sellis sedentes videret; *Absit*, inquit, *ut hîc sedeam, unde seniori surgere fas non est.* Vide *Brusonium* lib. IV. cap. 10. de morte. *Hodieq; subinde* (inquit Drexelius Consider. I. de æternit.) *Reges & Cæsares in subterraneis mausoleis componuntur* sedentes *taciturnâ & lugubri majestate. Corpus Caroli M. aromazatum est*, inquit Monachus Engolismensis in vita Caroli M. *& in sede aureâ* sedens *positum est, in curvatura sepulcri, ense aureo accinctum, Evangelium aureum tenens in manibus & genibus reclinatis, humeris in cathedra & capite honestè erecto ligato aureâ catenâ ad diadema. Et in diademate lignum sanctæ crucis positum est &c.* Christiani solent sepelire 1. *supinos*, quia mors nostra propriè non est mors, sed brevis quidam somnus. 2. *vultu ad cœlum conversos*, quia solo in cœlo spes nostra fundata est. 3. *versus Orientem*, argumento sperandæ & exoptandæ resurrectionis, vide *Casal.* de Vet. Christian. ritibus cap. 66. fol. 266. *Innocent. Cybum* de sepulcro, Dialogo 2. & *Kornmannum* de Mirac. Mortuor. part. VII. cap. 18. Tandem, feralibus officiis, justisq; persolutis apud Romanos, qui funus prosequuti fuerant, aquâ ter lustrati, (quod & Græcis usitatum fuisse testatur *Suidas* in verbo καθαλύειν) *Vale & Salve*, aut ipsum etiam *Vale* ter repetitum, composito inclamabant, terramque levem ei precati domuitionem parabant, pronunciato à Præficâ verbo novissimo ILICET. De Hebræis audi *Maimonidem* cap. IV. Efel. §. 4. *Fodiunt*, inquit, *in pulvere spelunças, faciuntq; foveam in latere ejusdem Speluncæ, in quâ sepeliunt mortuum*, positâ ejusdem facie sursùm versus,

versus, *rejectaq; super ipsum rursus terrâ ac lapidibus. Sepeliunt verò mortuum in arcâ ligneâ & comitantes ipsum dicunt*; Vade in pace. Refert etiam *Anton. Margar.* Jüdengl. p. 60. quod *absolutis illis* (quæ C. VI. retulimus) *committatur mortuus sepulchro suo, agnatis proximis primam injicientibus ternam, quos reliqui postmodum imitentur comites. De ultimo* Vale *mirari quis posset*, inquit *Dn. L. Geier* loc. alleg. cap. VI. §. 19. in fine, *cur dicant:* לך בשלום *cum improbetur à Talmudicis in fine Cod. Berachoth, eò quod ita David dixerit Absolomo 2. Samuel. 15, 9. qui tamen suspensus fuit; quare malunt potius* לך לשלום abi ad pacem, *ceu Mosi dixit Jethro Exod. 4, 18. vide sis Buxtorf.* Instit. Epist. ad Epist. 2. p. 9.

CAPUT IIX.

De Loco sepulturæ.

Et nunc jacet ille noster tumulo suo compositus, nos verò antequã à funeratione domum eamus, circumspiciemus paululũ, quo loco consistamus. Extra urbem juxta vias pleraque Græcia sepeliebat mortuos suos. Athenienses de Solonis instituto nullum in urbe sunt sepulchrum passi, inquit *Melchior Junius* Quæstion Polit. Quæstion. CX. *Lege Solonis probibitum erat, ne intra urbem sepelirentur*, scribit *Cicero II. de LL.* Hinc Marco Marcello quamvis illustri viro à Magio Chilone interfecto locum sepulturæ ut darent intra urbem *Servius Sulpitius*, qui Achajæ & reliquis regionibus cum imperio præerat, ab Athenienſibus impetrare non potuit, ut ipse scribit in *Epistol. ad Cicer.* libr. IV. Epist. Famil. XII. quod religione se impediri dicerent: neque antea cuiquam id concessissent. Et ne de Corintho dubites altero Græciæ oculo, testis est *Pausanias* libr. II. *Accedentibus*, inquit, *ad eam occurrere in via tumulos, cùm alios, tum propè ipsam portam Diogenis Synopensis, quem Canem Græci appellarunt.* Apud Sicyonios etiam vetus lex humari quenquam intra suos muros vetabat, ut autor est *Plutarchus in vita Arati* in fin. Idem obtinuisse apud Smyrnæos *Cicero* pro Flacco & Syracusanos V. Tuscul. non obscurè tradit. Scribit *Dares Phrygius*, libro de excidio Trojæ, Priamum Hectorem filium

filium suum ab Achille occisum, more suorum ante portas sepeliisse & ludos funebres fecisse. *Plato*, θεῖος Philosophus libr. XII. de Legibus; non modò in agris jubet fieri sepulcra, sed agros steriles, nullique alii futuros usui destinat funeribus: ut quæ sine detrimento vivorum recipit mortuos, ea potissimum terra compleatur: quæ autem terra fruges ferre, & ut mater cibos suppeditare possit, eam vetat mortuorum corporibus occupari. Quidam tamen Græcorum etiam intra urbem humabant, quod Spartanorum exemplo manifestum est. Horum enim, Legislator Lycurgus mortuos in ipsis Urbibus & propè deorum ædes voluit sepeliri, ut Laconica juventus assvesceret non metuere aut horrere mortem. Ante Lycurgi quidem Leges apud Lacedæmonios religionis pollutionisque causâ intra urbem cadavera non fuerunt sepulta. Utramque leges apud *Plutarchum* in Lycurgo & Laconicis. *Polybius* lib. VIII. Histor. qui nunc in exerptis legitur, refert, Tarentinos, cùm oraculo didicissent, beatiores sese fore, si cum pluribus habitarent, intra urbem mortuos suos recondere cœpisse. Imò Græcos antiquissimos casco illo ævo in ipsis Deorum templis fanisquè vitâ functos humasse, multis ostendit *Arnobius* lib. VI. adversus Gentes: *Quid?* inquit, *quod multa ex his templa, quæ tholis sunt aureis & sublimibus elata fastigiis auctorum conscriptionibus comprobatur, contegere cineres atq; ossa, & functorum esse corporum sepulturas.* Sæpè in ipso foro aut medio urbis sepulcri monumento donabant, si cui honorem habitum irent. Sic Cœpio Catonis frater in foro Aeni, quæ Thraciæ urbs est, funeratus est, ut sæpè laudatus *Plutarchus* in Catone Uticensi scriptum reliquit. Plura exempla vide apud *Kirchmannum* de Fun. Rom. lib. II. cap. 26. Fallitur ergò & fallit alios *Alphonsus Tostatus*, Abulensis in Hispania Episcopus, qui vastos in Scripturas commentarios conscripsit, explanans verba Gen. cap. L. v. 13. *sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethæo*, quando ait; *signatè dici speluncam illam emptam in jus sepulchri, fuisse in agro & extra civitatem, quia nunquam fuit mos sepeliri corpora mortuorum intra civitates, nisi apud Christianos, qui intra civitatem & prope templa habent loca in usum sepeliendi mortuos sacrata, quæ appellant cœmeteria.* Refutat eum *Bened. Pererius* Comm. ad eundem Gen. locum,

Disp.

Disp. IV. *illud non rectè*, inquiens, *à Tostato, quod putat ante Christianos nullo tempore nullaq; in gente morem fuisse sepeliendi mortuos intra civitates vivorumq; domicilia.* Apud Romanos rerum dominos primitùs intra urbem humo fuisse coopertos, qui naturæ concessissent, *Servius* vult, celeberrimus ille Virgilii interpres, ad verba libri XI. Æneidos:

Innumeras struxêre pyras & corpora partim
Multa virûm terræ infodiunt, aperta q; partim
Finitimos tollunt in agros, urbiq; remittunt.

Sic annotans: *Urbiq; remittunt.* Deest unicuique, *inquit*, & meminit antiquæ consvetudinis. Nam antè etiam homines in civitate sepeliebantur; quod postea Duillio Cos. Senatus prohibuit & sanxit, ne quis in Urbe sepeliretur: unde Imperatores & virgines Vestæ, quia legibus non tenerentur, in civitate habent sepulchra. Hæc Servius. Accedit autoritas *Prudentii*, dulcissimi Poëtæ libr. I. contra Symmachum:

Et tot templa DEûm Romæ, quod in urbe sepulchra
Heroum numerare licet, quos fabula manes
Nobilitat, noster populus veneratus adorat.

Et quidem in suis quemq́ve ædibus suorum composuisse exuvias, exindeque *lares*, quos domesticos vocant deos, colere cœpisse Romanos, plurimi tradunt. Ita enim *Isidorus* lib. XV. Originum cap. II. *Prius in domo suâ quisq; sepeliebatur.* Et jam ante laudatus *Servius*, domesticos intra parietes terræ mandatos fuisse mortuos, unde Larium & Penatium religio extiterit, autor est in lib. V. Æneid. ad verba, *Præterea si nona diem.* Et rursus in eum locum libr. VI. Ejusdem operis, *Ædibus hunc refer antè suis, & conde sepulchro*, inquit, *Ut supra diximus, omnes homines in suis domibus sepeliebantur, unde ortum est, ut Lares colerentur in domibus, unde etiam umbras Larvas vocamus.* Hinc *Alexander ab Alexandro*, lib. VI. Genial. Dierum cap. 14. ita inquit: *Sed quum à primâ origine intra suas quisq; ædes defossa cadavera haberent* (de priscis Romanis loquitur) *unde Lares in singulis ædibus colendi religio pervasit* &c. quod ipsum & lib. III. cap. 2. docet. adde *Joan. Meursium*, prænobilem Græcæ literaturæ mystam, Exercit. Crit. lib. III. c. 20. ubi in hunc modum loquitur: *Sepulcra Romanos, sed & Gracos juxta vias in finibus agrorum habuisse satis constat omnibus. Primitùs tamen in ædibus ea constituebant.* Verùm hæc non placent *Kirchmanno*, qvi omnium in hoc argumento conatûs superavit. Apud Latinos fortean id obtinuisse concedit libr. II. de Funer. Rom. cap. XX. non verò in ipsa Orbis regina ac domina, Roma, cùm Romæ sub ipsis urbis incunabulis multò ante latas à Decemviris leges more qvodam receptum fuerit, ut extra urbem sepelirentur vitâ functi, probat idipsum exemplo Numæ secundi & Servii Tullii sexti Romanorum Regis. Et qvod P. Valerio Publicolæ & A. Posthumio Tuberti virtutis causa sepulchrum in Urbe à Senatu concessum sit, teste *Cicerone* II. de Leg. *Qvale autem*, inqvit, *honoris argumentum & virtutis fuisset præmium, si promiscuè omnibus in urbe sepeliri licuisset.* Videatur ipse loco citato & cap. XXVI. ejusdem libri, ubi objectioni occurrit. Qvod verò *Servius* ad libr. XI. Æneid. verbis supra adductis asserit, postea Duellio Consule Senatum prohibuisse & legasse, ne qvis in Urbe sepeliretur, id non Duellio Cos. primùm, qvi unà cum L. Papyrio Crasso consulatum obtinuit, ut *Livius* Historiæ Romanæ princeps testatur libr. VIII. Decad. I. eo loci ubi Ausonum bellum describit. (circa annum Urbis CCCCXC.) sed multò ante factum est. A Decemviris enim, (ad qvos à Coss. qvemadmodum ante à Regibus ad Consules translatum Rom. Imperium, qvanqvam & illi iterum abdicati sint & Tribuni Plebis & Consules in eorum locum rursus successerint, vide *Val. Forsterum* Hist. Jur. Civil. Rom. lib. I. cap. 23. num. 8.) cautum fuit lege XII. Tabularum, *ne qvis in urbe sepeliretur, neve ureretur*, teste *Cicerone* II. de Leg. Leges verò XII. Tabularum, corpus omnis Romani Juris, docente jam dicto *Valent. Forstero* loco allegato n. 1. anno post Romam conditam trecentesimo juxta *A. Gellium* lib. XX. cap. I. vel ut alii scribunt CCCII. compositæ sunt ac scriptæ. Ipsi Imperatores postea leges dederunt de non sepeliendis intra Urbis pomœria mortuis. *D. Adrianus* rescripto mulctam aureorum qvadraginta fisco inferendam decrevit tàm in eos, qvi qvempiam intra mœnia humassent, qvàm in ipsos Magistratus, qvi id passi essent, locumq́ve publicari & corpus exhumari transferriq́ve jussit, Digestorum lib. XLVII. Tit. 12. *de sepulchro violato* §. 5. *Divus Adrianus.* Intra urbes sepeliri mortuos vetuisse Antoninum Pium, refert

fert *Jul. Capitolinus* in vita ejus. Qvæ autem ratio, cur cadavera in urbibus ſepeliri non permitterent? Accipe cauſam ex *Juſtinianeo Codice*, titulo de Relig. & ſumpt. fun. I. Mortuorum: *Ne ſanctum municipiorum jus polluereturr*, vel *ne funeſtarentur ſacra civitatis*, ut inqvit *Julius Paulus*, Sententiarum libr. I. ſub titulo de Sepulchris & lugendis. Tum etiam ne cœlum illud urbanum, undè proximè ſpiritus duceretur, putreſcentium corporum nidore corruptum peſtem importaret. Satis ei rei probandæ eſt *Iſidorus* libr. XIV. Orig. cap. XI. *Prius autem qvisq; in domo ſua ſepeliebatur, Poſtea vetitum eſt legibus, ne fœtore ipſo corpora viventium contacta inficerentur.* Tholoſanus in Syntagm. Juris Univerſi lib. XXXIII. cap. 23. n. 8. prohibitæ domeſticæ ſepulturæ hanc etiam reddit rationem, *ne licentia illa ſepeliendi familiares daret delinqvendi & occiſos occultandi occaſionem.* Combuſtionem verò in urbe fieri prohibebant propter flammæ periculum, teſte *Cicerone* libr. II. de LL. Intra ambitum ergò murorum cujuslibet defuncti corpus humari Leges vetabant, qvas tamen poſtea abrogavit *Leo Imper.* & cujusvis arbitrio permiſit, ſive extra muros ſive intra civitatem ſepelire mortuum vellet, ut ex ejus *Novell. LIII.* notum eſt. Extra Urbem verò loca deſtinata ſepulchris erant duplicia, *privata & publica.* Privata erant, qvæ qvisqve in ſuo horto ac agro ſepulturæ aſſignarat. Qvi fundum viæ publicæ proximum habebant, in eâ potiſſimum parte ſepulcra condebant, qvæ viam ſpectabat, ſive ut iter facientibus innoteſcerent, ſive ut *pratereuntes admonerent mortui & ſe fuiſſe & illos eſſe mortales*, notante *Varrone*, diligentiſſimo antiqvitatis inveſtigatore libro V. de lingva latina. Piè in rem præſentem *Chryſoſtomus* Serm. de Fide & Lege; *Omnis*, inqvit, *civitas, omne caſtellum, ante ingreſſum habet ſepulcra, ante portas, ante agros ſunt ſepulcra, ut contendens intrare civitatem, qvæ impenſt & floret divitiis & potentatu aliisq; dignitatibus, priusqvam videt, qvod ſecum concipit, videat primùm, qvod ſit.* Hinc ſolemnes formulæ, qvibus Viatores vel hoſpites in Epitaphiis ſolent compellari. SISTE VIATOR. VIATOR ADSTA. ASPICE VIATOR. & ſimiles. Exſtruebantur ergò ejusmodi monumenta & ſepulcra ſecundùm vias militares & λεωφόρους ſeu publicas & qvidem celebriores, ut *Appiam, Aureliam, Flaminiam, Latinam &c.* Juxta *Viam*

Appiam, qvam Statius *reginam longarum viarum* appellat, ſepultum eſſe qvinto ab Urbe lapide *Pomponium Atticum*, refert *Cornel. Nepos* in vita ejus, *Marcum Tullium* ſexto, teſte *Georgio Fabricio Chemnicenſi* (viro excellenti ingenio & judicii rectiſſimi *Barthio*) Adverſ. Libr. XLIV. c. 26.) tractatu de Roma cap. XX. *Deſiderius Lignamineus* Patavinus anno M. D. XLIV. in Inſula Zacyntho Ciceronis ſepulchrum inventum eſſe aſſerit. Rem ipſam narrat *Franciſcus Fabricius* in Hiſtoria Ciceronis, ſub finem anni ejus ultimi, ſed ipſe huic rei fidem non adhibet. Eſt & *Ennii*, ſummi Epici poëtæ, juxta *Ciceronem* de Opt. Orat. cap. I. in *Via Appia* ſepulchrum, teſte *Ovidio*: & *Severi* Imper. (qvi primus & ſolus Africâ oriundus ad Imperii Rom. faſtigium pervenit (teſte *Æl. Spartiano* in Antonino Getâ. *Gallieni* Imp. (qvi à Claudio in cœleſtium eſt numerum relatus, vix exeqviis dignus, judicio aliorum,) tradente *Sext. Aurelio.* Juxta *Aureliam* reconditus eſt *Galba* Imp. (alieno imperio felicior, qvàm ſuo, ut ſcribit *Tacitus* I. Hiſtor.) docente *Svetonio* in vita. In *Via Latina Domitianus* (ſceleratorum Imperatorum ultima linea, qvi ex intolerabili & impudenti arrogantia *Dominus & Deus noſter* audire voluit,) autore *eodem* in vita ejus. In via *Oſtienſi* Divus *Paulus*, vas electionis ac Gentium Doctor, teſte *Prudentio.* Monumentum *Petri & Pauli* in via Oſtienſi ſuo tempore extitiſſe, dicit *Tertullianus* in Apologetico & *Euſebius* ex Cajo qvodam ſcriptore Eccleſiaſtico confirmat. In *Via Lavicana Didius Julianus* Imp. Juris peritiſſimus, *eruditione melior, qvàm animo*, ſepultus eſt, ut in ejus vita ſcribit *Ælius Spartianus. Viâ Nomentanâ*, ad ſecund. lapidem viſitur *Bacchi templum*, ſphæricâ formâ cum columnis geminatis in gyrumqve ita diſpoſitis, ut templi teſtudinem ſuſtineant, ubi vermiculato opere varia ornamenta cernuntur. Ibiqve porphyreticum ſepulcrum, vitibus ac uvis inſculptis exornatum, qvod vulgus *Bacchi ſepulchrum* appellat. Ita *Henric. Kornmannus* de Miraculis Mortuor. parte IV. c. 115. *Viâ Attallanâ* (narrat *Leander Albertus*, Bononienſis, in deſcriptione Italiæ & qvidem regionis ejus V. nempe Campaniæ p. 268.) *qvæ Romam euntes in Appiam ducebat, utrinq; tota propemodum habet ſepulcra vetera, majori ex parte integra, qvæ cellulæ non inelegantes videntur & inhabitari commodè poſſent, ſi lignea adderentur fores.*

Singula in latera pedes continent octonos omnia fermè: sunt tamen aliqva pedum qvinum, aliaq; minoris qvoqvo versum latitudinis. Constante è latere cocto exactâ mensurâ conformato, & parietes haud externè solùm elegantissimè structi cum coronis, verùm etiam intus toti nobilissimis coloribus & auro depicti, coronis item affabrè deornati sunt. Intratur ostiolo modico, qvod viam spectat. cui ex adversum ipso in pariete qvædam ædicula est, media muri crassitudine excavata, fenestræ instar, altitudine plerumq; duorum pedum, tota coronis elaborata, supernè vel in angulum acutum vel in fornicem desinens. Ad latus utrinq; minoris sunt specie pyramidum, ordine tanqvam humanæ manus digiti paulatim deficientes. In illa majore patrum familias cum cineribus urna collocabatur, in cæteris matrumfamilias & liberorum, pro suo cujusq; gradu. Hæc Italus ille scriptor, & oculatus arbiter, qvæ pluscula posui, qvia rei huic illustrandæ faciunt. Plura petes ex jam ante laudati *Georgii Fabricii* Chemnicensis Roma cap. XX. & *Kirchmanno* de Funer Rom. libr. II. c. 22. *Propertius* tamen poëta jucundissimus, maluit in sylvis sepeliri, qvàm in agris juxta vias, sic enim *lib. III.* voti sui summam complexus est,

Di faciant, meane terrâ locet ossa freqventi,
Qvâ facit assiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamentur amantum,
Me tegat arbore eâ devia terra comâ.
Aut humet ignotæ cumulus vallatus arenæ,
Non juvat in mediâ nomen habere via.

Publica verò loca, alia inopum destinata erant funeribus, ubi & servi & cætera vilia capita sepeliebantur, dicebanturqve *Puticuli* à puteis fossis, vel qvod corpora ibi putresceret, nomen trahentes. Erat talis locus non procul ab Urbe domina, extra portam Esqvilinam, ut autor est *Varro*, vir ætate sua doctissimus lib. IV. de Lingv. Latin. dicebanturq; peculiari nomine *Sestertium*. Alia loca publica erant, in qvibus eorum locabantur monumenta, qvi præclarè de Republica meriti. Viris enim celebribus publicè locum sepulchro adsignabant interdum Romani, tanqvam singulare virtutis præmium, idqve potissimùm in *campo Martio*, loco illustri, *ubi solos reges sepelire mos erat*, juxta *Appianum* libr I ἐμφυλ. de Sylla ibi sepulto. Hinc *Tholosanus*, JC. celebris, inqvit in Syntagm.

tagm. Juris universi libr. XXXIII. cap. 23. *In Campo Martio tantum reges humari primùm consvetum, tradit Appianus lib. I. de bello Civil. & Herodianus in 4. ubi de Sepultura Severi agit*, &c. Cæterum in montibus etiam vel ad montes habuerunt sepulcra. Sic enim *Isidorus* lib. XV. c. 12. *Potentes aut sub montibus aut in montibus sepeliebantur.* Asserit & *Georgius Gualterius* in Tabulis Siciliæ; *Monumenta ad montes vetusta passim per Siciliam reperiri, inprimis Pantalicæ in ditione Cas. Cajetani, ubi præruptis hinc inde collibus ab imo ad eorum fastigia usq; ea excisa. Qvæ cum innumera sint, qvà sublimioris, qvà abjectioris sortis mortalium conditoria fuisse autumat.* Illustris locus & clarum vestigium hujus moris est apud *Ambrosium Leonem* in descriptione Nolæ Urbis Italiæ lib. III. cap. 2. ubi refert; *Ætatem qvæ secuta est illam priscam* (qvà extra urbem secundùm celebres vias sepulchra extruebant Romani) *in excavatis in monte verrucave aliqvâ magnis concameratisq; cuniculis, qvæ aliqvanto tractu semota sint ab urbe, excavasse sepulchra singulis defunctis, qvæ sicuti capsa longâ serie & sibi hærentes ordinatæ, tum in dextro tum in levo cuniculi latere solog; calle, qvi in medio est cuniculo relictus discriminante structa spectentur. Atq; ita in visceribus montium & terræ factam esse veluti* civitatem mortuorum, *ubi tanqvam per vicinias, ita per cuniculos iretur. Neapoli* (addit) *atq; Syracusis ejusmodi mortuorum civitates excavatas etiam nunc est cernere, qvanqvam neq; tempestate nostra, neq; longis anteactis temporibus qvisqvam in eis conditus sit.* Hæc ille. Ex hactenus dictis constat extra urbem sua sepulchra & loculos habuisse Romanos, in qvibus cineres suorum conderent, idq; jussu Legum. Ubi tamen præteundum silentio non est, etiam post latus XII. Tabulas qvosdam in ipsa Urbe fuisse sepultos, qvos legibus solutos virtutis causâ id consecutos fuisse *Cicero* existimat, II. de Legib. *Qvid? qvi post XII. in urbe sepulti sunt clari viri? M. Credo, Tite fuisse aut eos qvibus hoc ante legem virtutis causâ tributum est, ut Publicolæ, ut Tuberto, qvod eorum posteri tenuerunt: aut eos, si qvi hoc, ut C. Fabricius, virtutis causa soluti legibus consecuti sunt.* Hinc *Alexander ab Alexandro* lib. III. Genial. dier. cap. 2. *Cineres tamen ejus*, inqvit, *qvi triumphasset, aut Imperatoris, qvi hostes bello domuisset, vel armis rempubl. auxisset, in urbem ferre licebat, qvibus hoc honoris*

causa, ut in foro conderentur, tributum est. Idem repetit lib. VI. c. 14. Solum tamen omnium Imperatorum Trajanum intra Urbem in foro sepultum esse, tradit *Eutropius* libr. VIII. Adde autem Vestales in urbe habuisse sepulchra, qvia legibus non tenerentur, ut tradit *Servius* ad lib. XI. Æneid. in loc. antea cit. Ægyptii medicata & condita suorum cadavera vel in propriis sepulchris, vel qvibus ea desunt, domi servabant ad firmiorem parietem arcâ corporis erectâ, ut scribit *Diodorus Siculus* lib. II. Bibl. Histor. cap. V. De Septentrionalibus populis refert *Christianus Cilicius* belli Dithmarsici lib. I. *Erant eorum sepulturæ in silvis & agris tumulosq; aggestis lapidibus vestientes muniebant, qvod genus complures passim adhuc visuntur, qvi gigantum strata vocantur.* De sepulchris juxta publicas & regias vias testem produco *Johann. Adolphum Cypræum* Annalium Eccles. Slesvic. lib. I. cap. 2. *Dani cum pyramides ac obeliscos exstruere non potuerint,* (propter defectum artificum) *olim in memoriam regum ac Heroum suorum ex terra coacervata, ingentes moles montium instar eminentes statuisse, credibile omninò & probabile est.* Atqve illis adeò in locis plurimùm, qvò sæpè homines commearent, aut iter haberent, ut in viis publicis, qvo posteritati memoriam clarissimorum virorum consecrarent, & qvodammodò immortalitati mandarent. Apud Judæos extra civitatem in locis à viventium habitaculis separatis mortuorum cadavera fuisse condita, tum ob nitorem & sanitatem, tum ne contaminarentur, notum esse debet ex Historia Sacra. In regione Gergesenorum occurrebant Servatori duo dæmoniaci è monumentis prodeuntes, in qvibus domicilium habebant, sævi valdè, adeò ut neqviret qvisqvam præterire per viam illam, Matth. VIII, 28. Annotat ad hunc locum Menochius; *Judæi,* inqvit, *non in urbibus, sed in agris extra urbes sepulchra constituebant, cubiculis similia, qvæ plures homines possent capere.* Hospites & peregrini peculiarem ad sepulturam nanciscebantur agrum. Matth. XXVII, 7. Filius Viduæ Naimitanæ efferebatur portâ Urbis Nain, numeroso populo funus comitante, Luc. VII, 12. Lazari sepulchrum fuit extra Bethaniam. Joh. XI. Josephus Arimathæus monumentum sibi extra muros Jerusalem in horto excidi curaverat, nec primus nec solus ἐν τῇ πέτρᾳ, *in petra.* (Erat enim solum circa Jerusalem ad sexagesimum usqve lapidem,

lapidem, χαράδρεον petrosum, saxosum h.e. subtus lapidosum, ut appellatur à *Strabone.*) Matth. XXVII, 60. Marc. XV, 46. Luc. XXIII, 53. Joh. XIX, 41. Sunt qvi existimant vallem Cedron, qvæ à posterioribus Judæis vallis Josaphat cœpit appellari, commune totius Civitatis Hierosolymitanæ, cui contigua qvamq; totam ab Oriente cingebat, cœmeterium fuisse, ubi vulgus & ignobiles omnes sepulti fuerint. Hinc *Cornelius à Lapide* Comm. in Jerem. c. XIX. v. 6. inqvit, *Commune Judæorum sepulcrum erat in valle Cedron, in eâ parte, qvæ Gehenna, seu Topheth appellatur, ut patet ex IV. Reg. XXIII, 6. Indeqve hæc vallis dicta est Cadaverum, Cineris, Calvaria & regio mortis, vide Jerem. XXXI v. 40.* Ibiqve nunc Turcas sepeliri, refert *Adrichomius in descriptione Jerusalem num. 204.* Sepulchretum, inqvit, *Drusius Præteritor.* lib. I. ad cap. Matth. XXVII. v. 7. Ebraicè dicitur *domus sepulchrorum.* Is assignabatur cuiqve urbi, & qvidem situm erat extra terminum ejus. Non enim sepeliebant mortuos suos in termino urbium suarum, Ex libro præceptorum, 206. 3. Monumenta igitur Judæorum extra urbem. In agris qvandoqve sæpè etiam in montibus vel collibus. Patriarcharum Principes, *Abraham, Isaac ac Jacob* in spelunca agri sepultos esse, in Genesi legimus. Ægyptii Servatoris *Josephi* λεήναν in parte agri Sichemitici composita narrantur in libro Jesu Nave XXIV, 32. Josue, dux Hebræorum & *Eleazer* summus sacerdos filius Aaron in monte Ephraim sunt reconditi, ut dicitur ibidem. Et 2. Regum XXIII, 16. *Reversus Josias vidit sepulchra, qvæ erant in monte.* Reponebantur defunctorum corpora in speluncis excisis, conditis singulis in separatis foraminibus, qvorum *octo,* vel ut alii *tredecim* cavari solebant, ut essent totidem corporum conditoria. Qvale monumentum Josephus inciderat in petrâ seu in spelunca petræ. Locus verò ubi sanctissimum Domini corpus positum est, unum erat ex illis octo vel tredecim foraminibus, qvæ diximus cavari solita in qvovis monumento, docente magno *Casaubono,* qvem vide Exercit. XVI. num. XCVIII. XCIX. CXXII. Non desunt interim exempla in Veteris Instrumenti Scriptura eorum, qvi intra urbem sunt tumulati. Ramatha urbs sita in monte Sophim, natale solum, domicilium pariter ac sepulchrum præbuit *Samueli* I. Sam. I. & XXV. ossaqve ejus possedit, donec ab Arcadio Imperatore in Thraciam trans-

transferrentur. Sic enim 1. Sam. XXV, 1. dicitur *& ſepelierunt eum, in domo ſuâ, Ramâ.* Sic & *Manaſſe* in horto domui regiæ contiguo ſepultus eſt, 2. Reg. XXI, 18. *David* vatum regumqve ſacrorum maximus in arce Sion, qvam ipſe de ſuo nomine civitatem David appellavit, ſepultus eſt 1. Reg. II, 10. cujus monumentum adhuc poſt Chriſti reſurrectionem oſtenſum fuit, Actor. II, 29. Hoc ſepulchrum (Davidis) ab Hircano theſauris ſpoliatum ingentibus, Adriani Imperatoris tempore demum collapſum eſt, inter cujus rudera *Hieronymus* Oratorium aliqvando delegit ſuum V. Epiſt. hujus 17. ad Marcellam & *Baron.* Tom. I. an. 34. n. 245. 249. Et qvamvis indicare videtur *Hieronymus* Davidicum Mauſolæum, ad qvod ſe precari ſolitum ſcribit loco jam dicto, extra urbem fuiſſe, fortaſſe, qvia poſt tot vaſtationes & reædificationes extra urbem relictum eſt, ut inqvit *Lorinus* Com. in Acta Apoſtol. cap. II, 27. Erant autem in extremitate montis Sion ſeu prope mœnia ſepulchra Regum in horto regalis palatii, cujus mentio fit 2. Reg. XXV, 4. & 2. Paralip. XXVI, 23. ubi Rex Ozias dicitur ſepultus in agro regalium ſepulchrorum, non in ipſis regiis ſepulchris, eò qvòd eſſet leproſus, ne ſcilicet contactu ſuo alia cadavera contaminaret. Sic qvoqve legimus de rege Joram 2. Paralip. XXI. v. 20. *Sepelierunt eum in civitate David, veruntamen non in ſepulchro regum.* Et de Joas Libr. 2. Paralipom. cap. XXIV. v. 25. Eadem habentur verba de Achaz, cap. XXIII, 27. *Sepelierunt eum in civitate Jeruſalem, neq; enim receperunt eum in ſepulcro Regum Iſrael.* Hinc *Benjamin Tudelenſis* in libro itinerum ſuorum, interprete Bened. Ariamontano inqvit; *Sunt in Sion monte Davidicæ familiæ ſepulchra, & regum eorum, qvi poſt David ſurrexerunt, ſed locus ipſe ignotus vulgò eſt.* Venio ad Chriſtianos. Hi communem humandis defunctorum corporibus deſtinatum locum, ut à nomine ordiar, appellabant κοιμητήριον à κοιμάω, cœmeterium, *nimirum voce fidei ac pietatis plenâ, reſurrectionis videl. ſpem teſtificante, declarante q; Dei omnipotentiam, qvi tanta facilitate poſſit mortuos ad vitam revocare, qvantâ poteſt qvilibet noſtrum excitare dormientem*, ut ait *Pererius* in cap. L. Gen. v. 13. unde & Veteribus Hebræis ſepulchreta non בית מתים *domus mortuorum*, ſed בית חיים *domus vivorum*, fiduciâ reſurrectionis vocantur, teſte *Schikardo* de Jure Hebr. c. VI.

pag. 169. *Veteribus Hebræis* בית חיים *domus viventium, cœmeterium nominatur*, inqvit, *D. Chytræus* Libr. de vitâ & morte pag. 101. *qvod pii illic cubantes DEO vivant, & certò revicturi ſint.* Θεῷ γὰρ ζῶσι πάντες οἱ κ᾽ Θεὸν ζήσαντες, κἂν ἐνθένδε ἀπαλλαγῶσι, *Deo enim vivunt omnes, qvi ſecundùm Deum vixerunt, etiamſi ex hac vitâ diſceſſerint.* Cœmeterio autem à dormitione nomen obvenit, qvaſi dicas *dormitorium*, qvod corpora fidelium ibi reqviescant, in ſepulchris tanqvam in lectulis atqve cubilibus ſuis, *non mortua, ſed data ſomno.* Mors Chriſtianorum dormitio eſt, ſomnus eſt ac qvies, de qvâ excitationem ſperant & expectant in lætiſſima illa reſurrectionis die. Deo enim non magis difficile eſt mortuum, qvàm cuivis dormientem excitare. *Puella non mortua eſt, ſed dormit*, Matth. IX, 24. *Lazarus amicus noſter* κεκοίμηται, *dormit*, inqvit Chriſtus ὁ Σωτὴρ Joh. XI, 11. Et poſtea, ut explicet, dicit manifeſtè, λάζαρε ὁ ἀπέθανε, *mortuus eſt.* Et Stephanus princeps martyr *obdormivit*, Actor. VII, 60. confer Dan. XII, 2. 1. Theſſ. IV, 13. In Vet. T. freqventius reperitur hic loqvendi modus, uſitatus de mortuis in Domino; (*Et dormivit cum patribus ſuis*) præſertim in Libris Regum & Paralipom. Profanis etiam ſcriptoribus mors perpetuum ſomnium & ferreum dicitur, ſicut apud *Homerum* Iliade 30. verſ. 241.

ὡς ὁ μὲν ἀνὴρ πεσὼν, κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.

Statim ut cecidit, dormivit ferreum ſomnum.

Eodem pertinet illud Catullianum ad Lesbiam:

Nobis cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

Non prætereunda hoc loco eſt abſurditas & in Græca literatura imperitia illius, de qvo Poëtæ duri duriter cecinerunt;

Durus Durandus jacet hoc ſub marmore duro,
An ſit ſalvandus ego neſcio, nec ego curo.

Is enim libro I. ration. divin. officiorum c. V. num. 4. Cœmeterium dictum putat à *cimen*, qvod eſt dulce, & *ſterion*, qvod eſt ſtatio, propterea, qvod ibi defunctorum oſſa dulciter qviescunt. Vel qvia ibi ſunt cimices, i. e. vermes ultra modum fœtentes. Satis ridiculè iſtud qvidem. Cœmeteria aliàs dicuntur etiam πολυανδρία à multitudine ſitorum, item ſepulchreta vel conditoria à *Petronio*, vel etiam conditiva, requietoria, qvietoria aliis. Germani pulcherrimo nomine appellant

pellant Gottes-Acker / in quo Deus suam habet sementem ac segetem, quam in consummatione seculi & illustri adventu suo tanquam messi jam maturam demetet & in cœleste horreum invehet, Zizaniis in ignem missis inextingvibilem. Erant autem primitùs cœmeteria specus subterraneæ *extra urbem*, Romæ præsertim. Audiamus S. *Hieronymum* hæc ipsa cœmeteria sæpius obeuntem, sic enim de seipso scribit in cap. XL. Ezech. *Dum essem Romæ puer, & liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis & propositi, diebus Dominicis sepulchra Apostolorum & martyrum circumire, crebroq; cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossa ex utraq; parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum; & ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud Propheticum compleatur: Descendant in infernum viventes: & rarò desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quàm foramen demissi luminis putet: rursumque pedetentim acceditur, & cæcâ nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur: Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.* Paria leges apud *Prudentium* de Cœmeterio Cyriacæ in agro Verano. Morem hunc antiquorum Christianorum condendi cadavera piorum in lateribus tumbarum, cryptarumque arenariarum, ut vocabant, fornices sustinentibus, originem habuisse à Servatoris Mundi τῦ θεανθρώπυ sepulchro existimat Cardinalis *Baronius* ad Annum XXXIV. n. 134. Sed communem morem sepeliendi Judæorum, quem & in Christi corpore servatum apparet, nihil ejusmodi habuisse, quod cum sepulchris in lateribus cryptarum comparari possit, ostendit *Casaubonus* Exercit. XVI. numer. XCIX. Moris enim Judaici fuit, ut tota familia in una spelunca sepeliretur, repositis singulis corporibus in separatis foraminibus ad id excavatis. Cryptæ verò jam dictæ Christianorum ex utrâque parte ingredientium per parietes habebant corpora sepultorum, ut modò *Hieronymus* testis ocularis referebat. Cæterum cœmeteria ista non tantùm conditoria mortuis, sed & latebras & perfugia vivis grassante persecutione præbebant. Clarè hoc indicat *Chrysostomus* Homil. XL. ad populum inquiens; *Hi quidem in monumentis & sepulchris, hi verò in desertis latitabant. Mulieres teneræ & delicatæ continuâ fame detinebantur. Itaq; considera, si qua tunc pretiosi sumptus, si qua delitiarum erat delectatio. Subiitne concupiscentia unquam mulierem in sepulcro latentem & expectantem ancillulam, ut veniat prandium afferens, & ne fortè deprehensa sit trepidantem & in timore tanquam in fornace jacentem?* Idem docet jam citatus laboriosus Annalium pater Tom. II. Annal. ad Annum CXXX. *Cœmeteriorum usus*, inquit, *non modò inserviebat humandis defunctorum corporibus, ex quo & nomen est inditum, sed & persecutionis tempore ad latebras Christianorum. Mirabile dictu: vidimus sæpiusq; lustravimus Priscillæ cœmeterium, haud pridem inventum atque refossum via Salaria, tertio ab urbe lapide; quod nullo magis proprio vocabulo dixerimus, præ ejus amplitudine, multisq; atq; diversis ejusdem viis, quàm subterraneam civitatem &c.* In his cryptis à se effossis Christiani tempore persecutionis stationes synodosque habebant suas & sacramenta administrabant, quod multis docet *Onuphrius* proprio libello de Cœmeteriis cap. XI. A tempore verò Constantini Magni, mutatâ Orbis Romani facie, Christiani, qui fugere & latere, omnesque malorum ideas perpeti hactenus fuerant coacti, eluctati decumanos tempestatum hinc inde ingruentium fluctus, & in libertatem vindicati, & templa sua passim intra urbes habere cœperunt & spatia quædam juxta templa sepeliendis mortuis destinarunt, vel prisca illa martyrum dormitoria Ecclesiis publicis ac sacellis decorarunt, aut etiam nova cœmeteria extra urbis portas, sed ita, ut non longè abessent, condiderunt, quibus adjunctum interdum templum, interdum nullum. Abundè, quæ ad *communem* sepulturæ *locum*, dixi. *Rarus* supereſt, quem pari cura adtexam. Erat is in ipsis templis *Augustinus* Hipponensis Præsul jam ante sua tempora sepeliendorum mortuorum in templis & propè martyrum monumenta usum fuisse, docet Libro de cura pro mortuis cap. IV. Quanquam non adeò frequenter primùm ipsis templis & Basilicis inferebant suorum cineres atque ossa. Sed Personæ Sacerdotales & Reges Basilicarumque conditores tantùm intra templorum parietes recipiebantur. Sic *Ambrosius* Mediolanensium Episcopus in Basilica à se erecta sibi sepulchrum elegit. Vide Serm. LXXVII. inter Ambrosianos. Constantinum Magnum Constantinopoli in vestibulo templi Apostolorum sepultum, scribit *Chrysostomus* Homil. XXVI. in Epist. 2. ad Cor. Honorius Imper. Romæ in Templo S. Petri humatus legitur,

taceo alios. Alicubi ipsi quoque proceres & principes viri in capellis & in muro Ecclesiæ, non intra Ecclesiam humabantur, ut in multis Basilicis Hispaniæ observatum est, teste *Garsia Laoisa*, Hispaniensium Conciliorum editore in cap. 18. Concil. Bracarensis I. *Quærunt*ur eruditi, inquit *Christophorus Brovverus* Jesuita in Vita S. Ludgeri in fine lib. 2. *Sacrosancta terrarum sola, quæ par sit nitere munditie & puritate, per vilium capitum funera, quæ se in adyta quoq; templorum insinuant, quodammodò infuscari & ex sacrariis fieri πολυανδρεια & busta mortuaria.* Cum autem mos hic inferendi templis cadavera adeo, vulgò etiam invaluisset, aliquoties legibus coercendus fuit. Sic enim Gratianus, Valentinianus & Theodosius Impp. in templo aliquem sepeliri vetuerunt lege, quæ extat in libr. I. Codicis Justinianei, tit. II. De sacrosanctis Ecclesiis; *Nemo Apostolorum vel Martyrum sedem humanis corporibus existimet esse concessam.* In primo Concilio Bracarensi c. XXXVI. sancitum est, *ne corpora defunctorum intra Basilicas sanctorum tumulentur, sed fiant omnes sepulturæ extra civitatem*, vel etiam, *si necesse sit, deforis, circa murum Basilicæ* ibid. cap. XVIII. Mandavit & Carolus M. lib. I. Capitularium, ut *nullus deinceps in Ecclesia mortuum sepeliat.* Conferantur *Theodulphi* Episcopi Aurelianensis Epistola ad Fratres & Compresbyteros suos, veterumque quorundam Conciliorum hac de re decreta, quæ legi possunt apud *Gretzerum* libr. II. de Fun. Christ. cap. VIII. Haud tamen diu hoc unquam servatum est. Consulere Lector potest *Onuphrium* libell. de Ritu sepeliendi mortuos, ubi texit Catalogum Imperatorum, Regum, Principum, Pontificum, Episcoporum, aliisque dignitatibus conspicuorum hominum, qui vel ad limina vel in porticibus Ecclesiarum vel in ipsis Ecclesiis humati sunt, & passim in vetustissimis templis literati id testantur lapides. Obiter addo, Reges ac principes plerosque in certis locis sua habere monumenta & Sepulchra: *Castellæ Veteris Reges* Legione in Hispaniis. *Galliæ Reges* in cœnobio Dionysiano: *Angliæ*, ad Londinum totius Angliæ epitomen, in templo Westmonasterienſi, quod Henrici VII. sacrario maximè celebre est. *Scotiæ*, Burſiæ. *Svecorum Reges* Stokholmiæ. *Danorum* Barsholmiæ & Roeschildiæ. (Hæc inter alias, *Christiani III.* exuvias conservat, qui sancti Regis nomen promeruit & primus apud Danos renascen-

rentis Ecclesiæ parens Sacra Biblia in patrium sermonem transferri, typisque divulgari curavit Anno cIↃ IↃ XLIX. Situs ibi & *Sveno*, Rex ejus nominis III. qui totam Angliam subegit.) *Poloniæ Reges* Cracoviæ; *Electores Saxoniæ* Freibergæ; *Palatini*, Heydelbergæ; *Brandenburgici* Coloniæ ad Svevum. *Duces Austriaci*, Viennæ; *Principes Wurtebergici*, Tubingæ; *Megapolitani*, Sverini. *Pomerani*, Wolgasti. *Holsati* Slesvici &c. Vide *Melchiorem Junium* quæstion. Polit. CIX. *Locum sepulturæ Imperatoriæ certum destinatum non reperio*, scribit *Lymnæus* Tom. I. lib. II. de Jure Publico cap. XII. in fine. Et res ipsa docet. *Carolus* enim cognomento *Magnus*, ille qui Francorum regum primus Cæsareum nomen indeptus est, & *Otto III.* (qui dictus est *Mirabilia mundi*) Aquisgrani tumulati sunt, *Arnolphus* Imp. Oetingæ, *Conradus* I. Fuldæ, *Henricus Auceps*, qui de Saxonum gente primus imperavit; Quedlenburgi, quæ mihi patria est; *Henrici II.* (qui Claudus, item Sanctus dictus est, & Bambergensem instituit Episcopatum) Bambergæ, *Lotharii II.* verò *Saxonis*, in monasterio Ducatus Brunsvicensis, quod ab ipso nomen habet, monumentum visitur. *Otto M.* (qui Magdeburgensem fundavit Episcopatum) Magdeburgi, *Ludovicus Bavarus* Imp. Monaci in Bavaria; *Rupertus* Imp. Heydelbergæ; *Fridericus Austriacus*, hoc nomine III. qui Augustum Cæsarem proximè attigit imperii diuturnitate (regnavit enim per 53. annos, hinc Poëta; *Ante & post ipsum non extitit Induperator, Qui sua tam longo tempore sceptra tulit.*) Etalioqui habuit non pauca cum Augusto communia, teste *Bucholcero*, aliique Augusti Austriaci Viennæ sepulti sunt. Spira Nemetum.

Sex Cæsaribus tribuit commune sepulchrum,
Francorum summi, quos genuere Duces.

Praga totius Bojohemiæ compendium & urbium regina *Caroli IV. Ferdinandi I. Maximiliani II.* ossa tegit & conservat, alii alibi siti sunt.

CAPUT IX.

Sepulcri Etymon, Ὁμωνυμίαν & Συνωνυμίαν *exhibens.*

LOcum ſepulturæ vidimus. Jam ipſa ſepulcra introſpiciemus. Dicitur autem ſepulcrum, (ut rem ab originatione vocis ordiar,) amandatis ineptis quorundam deductionibus, à ſepultum πᾶ ſepelio, *Iſidorus* Origin. XV. cap. XI. quod eſt humo, humo condo, terræ committo, terrâ obruo aut tego. Scripturæ V. T. phraſi *ſepeliri* eſt *colligi*, *congregari*, Num. XX, 26. Ezechiel. XXIX, 5. &c, *ad patres ſuos, ad populum ſuum, ad ſepulcra ſua colligi*, paſſim. Ipſum verò verbum *ſepelio*, originis admodum obſcuræ eſt, fatente ipſo *Chriſtiano Becmanno* in Orig. LL. quem vide. Græcum nomen τάφος; quod habetur Matth. XXIII, 27. & 29. XXVII, 61. 64. & 66. XXVIII, 1. & Rom. III, 13. à verbo θάπτειν *ſepelire*, *humare*, derivatum, propriè *ſepulchrum* ſignificat. Apud Hebræos v. קֶבֶר & בּוֹר *ſepulchrum* denotant. Quandoque etiam vox שְׁאוֹל pro ſepulchro in Scriptura uſurpatur, ut Gen. XL, 38. 1. Reg. II, 6. Job. XIV, 6. 13. cap. XVII, 23. Pſal. XVI, 6. Pſ. CXLI, 7. Eſa. XXXVIII, 18. Ezech. XXXI, 13. Jon. III, 7. Et oſtendit ἐτυμολογία vocis שְׁאוֹל, quod ſignificet in genere quoddam quaſi *petitorium* ſive *poſtulatorium*, quod tam de ſepulchro, quàm inferno accipi poteſt. Derivatur enim à themate שָׁאַל, quod eſt *petere, poſtulare, rogare. Sepulchrum*, (inquit Buxtorfius in Lexic.) *ſic à petendo & poſtulando dictũ, quod ore hiante & dilato Eſa. V. v. 14. Hab. II, v. 5. repleri expetat*, unde & inſatiabile dictum Prov. XXVII. v. 20. & XXX. v. 16. Quando autem dicimus, vocem hebraicam שְׁאוֹל *quandoque* in Scripturis pro ſepulchro uſurpari, tum ſeparamus nos & à quibusdam Pontificiis itemque Calvinianis. Sunt enim apud Pontificios, qvi negant vocem Hebræam *Scheol* unquam in Scripturis ſignificare ſepulchrum, ex quibus ſunt *Andreas Crocquetius*, Benedictinus, in Catecheſibus ſuis Catecheſ. 19. ubi ait; *Et ne vehementius ſibi placeant, ob ſuum illud Scheol, nunquam efficient, ut uno ſaltem Scripturæ loco prolato præclaram illam interpretationem ſepulchri confirment. Martinus Delrio* in Adagialibus Sacr. V. T. tom. 1. pag. 209. ſeqq. ubi per 86. dicta Scripturæ oſtendere conatur שְׁאוֹל in V. T. ſemper notare inferni receptacula, confer *Lancellottum* in Hæretico, quare & Cathol. quia & alios. His jungi poſſet *Bellarminus*, niſi unicâ voculâ ſemetipſum ab illorum conſortio ſeparaſſet; dicit

dicit enim Libr. 4. de Chriſto cap. 10. art. 4. itemque de Purgatorio lib. 2. cap. 10. ſect. 9. *vocem Scheol vel nunquam uſurpari pro ſepulchro.* Sed illis opponimus 1. Loca ſupra adducta. 2. alios ex Papiſtis, ut *Janſenium*, in cap. 15. Proverb. v. 12. & 25. ſic ſcribentem, *Dictio Hebraica* (Scheol) *ſignificat propriè ſepulchrum*, eadem repetit in cap. 30. v. 16. & rurſus in Pſ. VI. v. 5. & pluribus aliis locis aſſerit, quod ſumatur pro morte ſeu ſtatu mortuorum. *Cardinalem Cajetanum*, qui Loc. Num. XVI. v. 30. non de inferno ſed ſepulchro exponit, dicens, *hanc eſſe ſententiam illorum verborum; Deſcendunt in infernum vivi, i. e. vivi ſepelientur.* (Eodem modo *Hieronymus Oleaſter*, Dominicanus: *Ecce*, inquit Com. in h. l. *res inſolita, quod ſcil. homo vivus ſepeliatur vel ingrediatur ſepulcrum.* Quanquam *Epiphanius* in Ancorato, *Hieronymus* in Comment. Eph. IV. *Beda* in Com. Num. 16. rectius accipiant de inferno, *quia in flagrante crimine ſine ulla converſione ab ira divinâ ſubitò abſorbentur*, ut inquit *B. Gerhardus* Loco de Inferno num. 21.) *Ferum & Pinedam* ipſumque *Thomam*, quorum hic Lect. 2. in Jobum, ille Comm. in Job. XVII. cap. iſte Sermon. 52. loeum Job. 17. v. 13. non niſi de ſepulchro interpretantur, *Genebrardum*, qui locum Job. XIV. v. 13. *Sanctium*, qui locum Eſa. XXXVIII. v. 18. de ſepulchro accipiunt &c. Calviniani verò, ut *Hugo Sanfordus* libr. 2. de deſcenſu Chriſti ad inferos diſt. II. p. 14. ſeqq. & alii diſputant *per Scheol nihil aliud in Scripturis, quàm ſepulchrum, & ex conſequente ſtatum mortuorum ſimpliciter & in genere notari*, ſcil. ut obtineant, per deſcenſum Chriſti ad inferos in Symbolo Apoſtolico intelligendam eſſe ſepulturam, ſed oſtendit *B. Gerhardus* Loco de Morte §. 173. *& Loco de inferno §. 4. nomen* שְׁאוֹל quinque potiſſimum modis in Scripturis accipi 1. pro *Inferno* ſeu πᾶ damnatorum, in quo ſcilic. damnati torquentur. 2. *pro doloribus inferni*, qui in hac vita hominem quandoque tangunt & angunt. 3. *pro extremo humiliatis gradu. 4. pro morte & tranſitu ex hac vitâ, ſive pro ſtatu & conditione mortuorum in genere, & 5. pro ſepulchro.* Hasque ſignificationes omnes & ſingulas exemplis ê Scripturâ petitis ibidem comprobat. Hebræo שְׁאוֹל reſpondet Græcum ἅδης, quo LXX. Interpp. illud ſemper exprimunt, (ſi excipias loca 2. Samuel. XXII, 6. ubi vocem Scheol non verterunt ἅδην, ſed θάνατον, i. e. *mortem*,

mortem, & Ezech. XXIII, 21. ubi non ἄδην iterum sed βόθρον i. e. *foveam* habent) & Latinum *infernus*, quo vulgata Versio utitur. Sicut igitur Hebræum Scheol quandoque pro sepulchro usurpatur, ita quoq; Græcum ἅδης & Latinum infernus apud interpretes sæpè pro sepulchro ponuntur. *Stapletonus* in Promptuar. Cathol. super Evangel. in feriâ S. Hebdom. 2. quadrag. scribit; *Etsi vox Hebræa Scheol aliquando & perrarò fossam seu sepulchrum significet, tamen Græca vox LXX. Interpp.* ἅδης *in illâ significatione nunquam accipitur.* Scribit quoque *Lorinus* Tom. III. Com. in Psal. CXIII, 25. *Licet pro sepulchro infernus quandoq; accipiatur, at non* ἅδης. Satis audacter, sed falsissimè. Nam in omnibus illis locis, in quibus *Scheol* diximus notare sepulchrum, est apud LXX. Interpp. vox ἅδης. Imò quandoque vox τάφος & ἅδης inter se permutantur, vide Tob. III, 12. & VI, 16. Et *Stephanus* in Lexico ex vocis etymo ostendit ἅδην in genere dici *quemlibet locum tenebricosum & invisibilem*, quod etiam ad sepulchrum applicari potest. Autor quoque Lexici Græco-Latini, quod est in Apparatu Regio expressè habet pag. 7. ἅδης, ου, ὁ, *Orcus, Tartarus, sepulchrum.* Cæterum, ne æquivocationum, errorum parentum, tricis impediamur, notandum est, *Sepulcrum*, quodl oquendo propriè, *locus est, in eum finem constructus, ut mortuum corpus humanum vel ossa ejus perpetuò contineat*, sæpè ad alia, figuratâ locutione transferri. Ad pessimam hominis naturam, peccato depravatam, accommodatur Psalm. V, 10. Rom. III, 13. *Sepulcrum apertum est guttur eorum.* Flacius: *vocat omnes homines sepulcra aperta, quòd sicut ex illorum putredine teter ac pestilens fœtor exhalat; ita & ex omnium hominum pessimo thesauro cordis, per guttur ac os eorum, non nisi pessimi sermones & consilia exeant. Cornel. à Lapide* Com. in Rom. III. v. 13. inquit. *Quilibet homines peccato & concupiscentiâ corrupti, instar sepulcri patentis, spurca, tetra, fœtida, dolosa, maledicta exhalant, proloquuntur & eructant. Guttur eorum, quasi sepulchrum patens, fœditatem, putorem & abominationem lethalem mortui cordis, quasi cadaveris ùntus sepulti semper exhalat. Ernsmus*, magnus ille superioris seculi literarum vindex & restitutor, in milite suo Christiano his verbis rem circumloquitur, quæ, quia id merentur, adscribam: *Audis quempiam sermones impios, tumidos, maledicos, impudicos, obscœnos proferentem, verbis rabiosis in proximum debacchantem, cave putes, isti homini vivam esse animam? jacet in sepulcro pectoris putre cadaver, unde ejusmodi fœtores exhalantur & proximum quemque inficiunt. Christus Pharisæos sepulcra dealbata vocat. Quid ita? Nempe, quia mortuam animam secum circumferebant. Et regius ille Propheta, sepulcrum, inquit, patens guttur eorum, linguis suis dolosè agebant. Piorum corpora templa sunt Spiritus S. impiorum sepulcra cadaverum, ut potusimùm in eos quadret illa Grammaticorum Etymologia, σῶμα quasi σῆμα sepulcrum, pectus, guttur & os, hiatus sepulcri.* Hæc ille tàm eleganter, quàm verè. Regium Psaltem imitatus *Hieremias* V, 16. *pharetras* Chaldæorum nominat *sepulchrum patens.* Sicut enim sepulcrum continet mortuos, eosque consumit & incinerat sine fine & numero; sic pharetra eorum continet mortem, id est, sagittas plurimas mortiferas, quæ pluribus mortem afferent. Ita *Maldonatus*, vel ut *Menochius* exponit; *Quasi sepulcrum patens; quasi dicat*, inquit, *quæ gens adeò perita est in jaciendis sagittis, ut quot habet tela in pharetra, tot homines se interfecturum, ita ut pharetra sepulchrũ, sagittæ homines mortui esse videantur.* Vide adhuc quatuor alias hujus phrasεos explanationes apud

Corn. à Lapide comm. in h. l. Salvator Matthæi XXIII, 27. *Pharisæos*, sanctimoniæ istos simulatores, qui foris nitebant, intus turpissimi, τάφους κεκονιαμένους, *sepulcra dealbata* vocat, ut modò insinuabat laudatus Erasmus. *Eustathius*, celebris ille Homeri & valdè disertus interpres, τάφους quoque sæpius *funebres epulas* dicit, Homerus verò vel τάφους simpliciter, vel ἀιδοεπέας τάφους nominare solet, Iliad. Φ. & Ψ. vid. Eustath. Com. ad ea loca. Pro *ventre & visceribus* τῇ τάφῳ vox usurpatur apud *Val. Maximum*, historicum rerum varietate nobilem lib. IV. cap. VI. de Gentis Cariæ Reginâ Artemisiâ loquentem: *Quid enim aut eos colligat, aut de illo inclyto tumulo loquare, cum ipsa Mausoli vivum ac spirans sepulcrum fieri concupierit, eorum testimonio, qui eam extincti ossa potione aspersâ bibisse tradunt.* confer *Gellium* lib. X. cap. 18. Allusit huc *Ovidius*, Elegiacorum poëta princeps libr. VI. Metamorph. fabul. VII. de Tereo, qui Itym filium inscius comederat;

Flet modò, seq; vocat bustum miserabile nati.

De liberis Thyeste, quos ipse parens in cœnam ab Atreo propositos, comederet, apud *Ciceronem* Libr. I. Tusculan. quæst. dicitur;

Natis sepuchrum ipse est parens. Hinc & *vultures*, quibus mortuos suos projiciebant Iberi, Asiæ populi, ut suis sepelirent viscеribus, τάφοι ἔμψυχοι dicti sunt. *Senem* etiam *decrepitum* ἔμψυχόν τινα τάφον, id est, vivum quoddam sepulcrum dici invenio. *Crucem*, servile supplicium apud Romanos, notante *Lipsio* de Cruce lib. I. cap. 12. sepulcrum vocat Servus ille apud *Plautum*, in Milite Act II. Scena IV.

Noli minitari: scio crucem futuram mihi sepulcrum:
Ibi mei majores sunt siti, pater, avus, proavus, abavus.

Sed & *Avari* sepulcra pauperum dicuntur, sic enim S. *Ambrosius*, citante *Cornel à Lapide* Com. in cap. V. Esai. v. 14. *Avari, potentes & rapaces inhiant opibus pauperum sine fine & termino, eosq; devorant, ac si essent infernus & pauperum sepulcra.* Pro ipsis *sepultis* sepulchrum sumitur Esa. XXXVIII, 18. *Non sepulcrum confitebitur tibi, neq; mors laudabit te*, h. e. sepulti & mortui. Vide Dn. D. *Glassium* Philol. S. libr. V. tract. 1. cap. III. pro *calamitatibus maximis & gravissimis periculis*, Psal *LXXXVI*, 13. *LXXXIIX*, 4 &c. vide eundem d. l. cap. *X. Babylonica Judæorum captivitas* sepulcrum metaphoricè vocatur Ezechiel. *XXXVII*, 12. 13. Captivitas enim habetur pro morte civili. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris* &c. quibus verbis Resurrectio mortuorum simul præfiguratur juxta *Theodoretum* in h. l. *Rivetus* in Hoseæ cap. *XIII*, 1. tom. *II.* oper. p. 779. inquit; *Præterea vita ærumnosa & tristis pro morte censetur; idcirco exules mortui dicuntur, & exilium sepulcri nomine notatur Ezech. Cap. 37.* Ipsa verò sepulcra, corporis humani post mortem receptacula, non unâ expresit nominatione veneranda antiquitas. Dicebantur generali nomine *Memoriæ & monumenta* Romanis, μνημεῖα & μνήματα Græcis, scil. ἀπὸ τοῦ μνᾶσθαι à commemorando, reminiscendo. *Quia* (ut loquitur *Augustinus* de cura pro mortuis cap. IV.) *eos, qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam revocant, & admonendo faciunt cogitari. Cicero* Epistol. ad Cæsar. *Sed ego, quæ monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor, ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quàm ad præsentis temporis gratiam. Florentinus* JCtus lib. VII. Instit. *Monumentum*, inquit, *generaliter res est memoriæ causâ in posterum prodita, in quâ si corpus vel reliquiæ infirmantur, fiet sepulcrum.*

Est ergò & dicitur monumentum à *moneo*, eò quòd *moneat mentem* veluti. Avitæ enim virtutis posteros admonent monumenta, vel etiam propriæ mortalitatis, *Varro* lib. V. de lingva Latina: *Monere*, inquit, *à memoriâ dictum, quod is, qui monet, proinde sit, ac memoria. Sic monumenta, quæ in sepulchris: & ideò secundùm viam, quò præterеuntes admoneant, nomine mortuorum, & se fuisse, & illos esse mortales.* Prisca loquendi formula est. *Posuit corpus ejus in memoriam, quam sibi suisq; construxerat.* Ipsa quandoque *sepultura* pro sepulcro usurpatur, in Jure præsertim Canonico, C. *abolendæ*, *XIII.* in verbis effodi sepultura. Et C. *aurum LXX. Caus. XII.* q. *II. In sepulturis Christianorum requies defunctorum est.* Quo sensu *Servius Sulpitius* vocem accipere videtur scribens ad Ciceronem lib. IV. Epist. Famil. *XII.* se ab Athenienſibus, M. Marcello *locum sepulturæ* ut darent, intra urbem, impetrare non potuisse. Appellatur etiam sepulcrum, *Conditivum*, à *Senecâ* Epist. *LX. Qui latitant & torpent, sic in domo sunt, tanquam in conditivo. Conditorium*, à *Plinio* lib. *VII.* cap. *XVI. Divini thesauri conditorium*, à *Tertulliano* de resurrect. Carnis, *Quietorium*, *Requietorium*, *defunctorum sacra quies*, ab aliis. In sepulcris enim velut lectulis & cubilibus suis requiescunt corpora a malis & laboribus, donec extremâ die à Filio DEI, victore mortis & datore vitæ iterum suscitentur, quo sensu etiam sepulcrum *portus corporis* dicitur apud *Ciceronem* libr. I. Tuscul. quæst. ubi ita è veteri poëta: *Neq; sepulcrum, quo recipiat*, (fortè quo recipiatur legendum) *habeat, portum corporis: Ubi, remissâ humanâ vitâ, corpus requiescat à malis.* Dici etiam consuevit *tumulus*, quod coacervata ibi terra tumeat. Exaggerare enim terram solebant, & quò altius educebatur terra, eò honorificum magis. A tumore ergò illo terræ, latinum nomen tumulis quæsitum. *Ossuarium*, quod ex veteri inscriptione disco: JULIA. FUSCINIA. OSSUARIUM. VIVA. SIBI. FECIT. *Locus*, *Augustinus* de Civit. Dei lib. I, cap. 1. *Testantur id martyrum loca & basilicæ Apostolorum*, τόπος αἰώνιος, *locus æternus* Tob. III, 6. *Præcipe jam nunc me his augustiis excedere in locum æternum* &c. Hæc verba non habentur quidem in vulgatâ versione nec in Lutheri Germanicâ, habentur tamen in textu Græco. Item *Cinerarium*, unde per contemptum *Cinerarii* dicebantur olim, qui cineres & reliquias martyrum ve-

rum venerabantur, apud *Hieronymum* in Epistola quadam ad Riparium. Traduxit huc antiquitas etiam appellationem *Sarcophagi*, qua utitur in hac significatione *Juvenalis* Satyr. X. quia corpora defunctorum condita absumit sepulcrum, unde & inter res insaturabiles numeratur Prov. cap. XXX, 15. 16. Optimè *Plato* tellurem omnem *mortis Stomachum* appellavit, quia quos una mors devorat, tellus stomachi in morem, conceptos, tumulatosque concoquit, & ut ita dicam, digerit, ut annotat ad h. l. *Ferd. Quirinus de Salazar Orcivus thesaurus* pro sepulcro usurpatur in Epitaphio Nævii Poëtæ apud *A Gellium* lib. I. cap. XXIV. *Stabula cadaverum* sepulcra dixit *Tertullianus* de Resurrectione Carnis cap. *XXXVII. Sedes* pro sepulcro habetur apud *Virgilium* VI. Æneid.

— *quàm sedibus ossa quierunt.*

Sic *Apostolorum sedes* L. penult. c. de sepulc. viol. Et in antiqua inscriptione: HANC. SEDEM. SIBI. VIVI. POSUERUNT. item *Domus* pro eo sumitur. Nulla enim domus nostra, tàm verè nostra est, atque sepulcrum. Jobus verissimè cap. *XXX*, 23. *Quandoquidem novi, quod me ad mortem rediges, & domum conflatam* (constitutam) *omni viventi*: Huc trahunt nonnulli illud Prophetæ Esa. cap. *XIV*, 18. *Cubaverunt gloriosè, quisq; in domo suâ*, h. e. in sepulcro suo, ita *Emanuel Sa, Menochius*. Aliàs ita exponunt; gloriosè sepulti sunt, non cum plebe, sed in domo i. e. in parentum & regum sepulchro, *Tibullus* lib. *III.* Eleg. *II.*

Atq; in marmoreâ ponere sicca domo.

Hinc *domus congregationis* vel *conventus*. Eò enim tandem conveniunt mortales omnes, certo & constituto humanitatis & mortalitatis fœdere. *Domus aterna*, οἶκος αἰῶνος, *domus aternitatis, domus seculi*. Scribit *Diodorus Siculus* libr. I. Bibl. Histor. Ægyptios sepulcra ἀϊδίους οἴκους, *domus aternas*, illas verò, in quibus vivi degimus, domos, καταλύσεις i. e. *diversoria* sive *hospitia* nuncupasse, puta, quòd mora tàm brevis sæpe sit in illis, quàm in istis certa & æterna; putabant enim in sepulchris perpetuò commorandum functis. Antiquitatum *Fabricii* libr. *II.* Epigr. *XXXIIX. Hæc domus aterna est, hic sum situs, hîc ero semper.* Κατάλυμα verò, pro quo & κατάλυσις dicitur, locus est in diversorio publico, in quo sarcinæ deponuntur. Chaldæos *domum dormitionis, domum sepulchri*, περιφραστικῶς sepulchrum dicere, annotat *Johan. Drusius*

Drusius in Jobum commentans. Quidam etiam *domum luteam* Job. IV, 19. pro tumulo accipiunt, *qui habitant domos luteas*, Paraphrastes Chaldæus vertit, *in sepulcro lati*, i. e. luteo. *Johannes de Pineda* verò, item *Estius, Eman. Sa. Menochius & Tirinus*, in h. l. *Rivetus* etiam in Hoseæ cap. V. v. 12. per domum luteam ipsum corpus ex luto & limo formatum intelligunt, quod videtur inhabitare animus, ut ita Habitatores domorum luteorum, hominum periphrasis sit, quomodo ipse Paulus Apostolus corpus nostrum *terrestrem domum* 2. Cor. V, 1. & Sapientia *IX*, 15. *terrenam habitationem* vocare non dubitant. Porrò sepulcrum afficitur nomine *tenebrarum*, cum alibi, tùm Psalm. *LXXXVIII*, 13. *Non cognoscentur* בְּחֹשֶׁךְ *in tenebris mirabilia tua*, & Tobiæ *XIV*, 10. ἤγαγεν αὐτὸν εἰς τὸ σκότος, & post aliquanto καὶ αὐτὸς κατέβη εἰς τὸ σκότος. Vide *Drusium* in Jobi cap. *XVII*, 13. & in annot. ad Coheleth cap. V, 4. Dicitur & בֵּית חֹשֶׁךְ *domus tenebrarum*, in libro selectarum gnomarum, notante eodem. *Terram tenebrosam & opertam mortis caligine* Job. X, 21. de sepulcri conditione post Hebræos *Lyra* & quidam recentiorum, ut *Eman. Sa, Menochius, Tirinus, Rivetus* Comm. in Psalm. *XXIII.* v. 4. p. 140. a. tom. 2. Operum interpretantur, alii tamen hæc de statu damnatorum intelligunt, ut notant *Pineda & Coccejus* h. l. Regius Propheta *terram oblivionis* etiam vocat sepulchrum, Psalm. *LXXXVIII*, 13. quoniam mortuorum memoria simul cum ipsis sæpè effertur, juxta illud Psal. *XXXI*, 13. *Oblivioni datus sum, sicut mortuus, à corde*; vel quod ibi omnium sit oblivio rerum. Item *silentium, locum silentii*, דוּמָה, *quod illic fit silentium à celebrando DEO*, ut exponit *Buxtorfius* in Lex. Hebr. & Chald Non enim mortui publicam ad vivos orationem habent de Dei laudibus. *Pineda* Comm. in Job. Est autem hoc quoque defunctorum silentium quies quædam atque cessatio ab omni vitæ actione, cum silere is quoque dicatur, qui nihil agit, juxta illud Exod. *XIV*, 14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Loca habentur Ps. *XCIV*, 17. & *CXV*, 17. utrobique vocem silentii propriè reddidit Megalander *Lutherus*, Psalm. *XCIV*. Wo der HErr mir nicht hülffe / so lege meine Seele schier in der Stille / Psal. *CXV*. Die Todten werden dich HErr nicht loben / noch die hinunter fahren in die Stille. Hinc quoque Latini Poëtæ *silentes* pro mortuis dixêre. In locum hunc posteriorem ita *Simeon de*

on de Muis; In silentium, *id est, sepulchrum, sic nominatum, quòd ibi perpetuum sit silentium, & ut ait Kimchi, in sepulcro corpus sit instar lapidis muti. Hinc etiam Latini* silentes *pro mortuis dicunt. Ex Ezra vertendum*, in excisionem, *id est*, locum excisionis, *eodem sensu.* Hæc ille. Martyris cujusdam sepulcrum in Ecclesia primitiva peculiariter dicebatur *Confessio* vel *Martyrium.* Hinc intelligimus, inquit *Cornel. à Lapide* Comm. in cap. *XI.* Esaiæ pag. 169. illud, quod toties in vitis Sanctorum legimus: *Hic Sanctus sepultus est in Confessione S. Laurentii*, S. *Susannæ*, S. *Priscæ &c.* Nam in *Confessione*, idem est, quod in crypta vel sepulchro. Unum adhuc adjiciam, sic Caput hoc finiturus. Infantes infra certum ætatis annum vitâ functos non cremabant Ethnici Veteres, (unde *infantem minorem igne rogi*, dicit *Juvenalis* Sat. *XV.*) sed sepeliebant. Sepulchra verò eorum peculiari nomine *Suggrundaria* appellabant. Testem hujus rei produco *Fulgentium Placiadem: Suggrundaria antiqui dicebant, sepulcra infantum, qui nec dum XL. dies implessent, quæ nec Busta dici poterant, quia ossa, quæ comburerentur non erant, nec tanta cadaveris immanitas, quâ locus tumesceret.* Vide *Caspar. Barthium* Adversar. libr. *XI.* cap. *21.*

CAPUT X.

De Sepulcrorum generibus, variâ structurâ, ac ornamentis.

SEpulcra non unius generis fuisse, nec unicuique in quodlibet inferendi jus, jam porrò dicam: Vel enim quis *sibi solt* vel *uxori* simul *suæ*, ut unitâ sepulturâ perpetuum sibi daret conjugem, vel *sibi familiæq; suæ, ac posteris*, monumentum vivus exstruebat, heredum officia præsumens, aut exstrui in testamenti tabulis jubebat. Fuit autem id moris apud Romanos, ut cum heredes negligentiùs circa hanc rem versari viderent, plerumque dum viverent, sibi suisque sepulchra ipsi pararent. In Sacris de Asâ 2. Chron. XVI, 14. legimus; *sepultum fuisse in sepulcris suis, quæ foderat sibi in Civitate Davidis.* Et de Sebnâ, Esa. *XXII*, 16. quod in Jerusalem curasset sibi sepulchrum excidendum. Idem de Josepho Arimathæensi dicitur Matt. cap. XXVII, 60. Cæterum privorum, conjugumque sepulcra *Requietoria* dicta fuisse ex inscriptione veteri probare vult *Johann. Meursius* Exercit. Criticarum part. II. lib. III. cap. 20. sed id generale nomen est, *singularia* fortè vel *priva* rectius dicentur. Quæ verò omni familiæ posterisque fiebant, *Communia* appellabantur respectu familiæ, aut heredum & posterorum, qui inferendi jus habebant commune. Hinc *Ausonius* Epitaph. XXXVII.

Me sibi & uxori & gnatis, commune sepulchrum
Constituit, seras Carus ad exsequias.

Dicebantur hæc sepulchra etiam *Loci communes.* Cicero Verr. VI. *Dico nihil istum ejusmodi rerum in provincia reliquisse, &c. nihil in ædibus cujusquam, ne in oppidis quidem, nihil in locis communibus, ne in fanis quidem &c.* Confer Prologum Casinæ Plautinæ. Non interim ignoro, communia etiam vocari sepulcra, in quibus promiscuè multi ex plebe condebantur. Neque enim unicuique ex populo sepulcrum suum erat, ut ex suprà dictis patet. Benè *Adrianus Turnebus* lib. V. Adverf. cap. XVI. *Cum olim*, inquit, *qui locupletes erant, in suis fundis aliquid loci sepulturæ ponerent, & privata haberent ibi sepulcra sibi familiæq; suæ, aut heredibus, plebs, quæ agris fundisq; carebat, in loco aliquo communi sepulturæ destinato humabatur*: sepulchrumq; commune *vocabatur, ubi sepeliebatur. Ex quo scripsit* Horatius *lib. I Satyr. 8.*

Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum.

Sic *Lucretius*, Terram mortuos omnes gremio suo receptantem, *commune sepulcrum* appellat libr. V. Et *Catullus Trojam commune sepulcrum Europæ Asiæque* i. e. heroum belli Trojani tempore ex Europa & Asia occumbentium vocat. Ista verò communia quæ dixi sepulcra, alia *Familiaria* erant, alia *Hereditaria.* Illa dicebantur, *quæ quis sibi familiaque suæ constituerat:* Hæc autem, auctoribus *Cajo* & *Ulpiano* erant, *quæ quis sibi heredibusq; suis paraverat, vel jure hereditario acquisiverat.* Familiare sepulcrum ad Familiam, etiamsi in eâ nullus heres esset, ac heredes etiam extraneos pertinebat, ex *Leg. XIII. C. de Religios.* Non verò ad affines aut cognatos, heredes non institutos. His enim nullum inferendi jus fuit, ex *Leg. IIX. C. de Religios. & sumpt. Fun.* Sed hæc sibi invicem contrariari videntur, igitur respondet

ſpondet *Treutlerus* Conſ. 58. n. 249. procedere, quando in ultimâ voluntate diſpoſitum reperitur, aut in contractibus per inſtrumenti tenorem, vel per pacta majorum ſic conventum ſit, ut ſepulcrum familiare ſit toti familiæ commune in aliquo loco religioſo; & tunc omnes habere jus ſepeliendi, qui cenſentur de familiâ, nec per diviſionem ad unum poſſe devenire. Secus autem eſſe, ſi ſepulcrum ſit deſtinatum ei ſoli, cui univerſitas bonorum loci obvenit, vel qui domicilium ibi habet; cum jure Patronatus, tum enim id ad alios cognatos non pertinere ex *l. 8.* In Hereditario verò, (quod & *Gentile*, aut *Gentilitium*, vel etiam *patrium*, *avitum* & *majorum monumentum* nuncupabatur) heredibus, & qui heredum loco erant, ſepeliri licebat, etiam illis, quibus hereditas tanquam indignis ablata, ut docet *Ulpianus* D. de Religioſ. & ſumpt. funer. L. *XXXIII.* Quamvis enim jus heredum & filiorum amiſerint, ſolâ tamen humanitatis ratione jus paterni ſepulcri retinent, tum quod naturaliter jura ſepulcrorum liberis quaſi adhæreant, tùm quòd aliquando Domini, vivo adhuc Patre habiti ſint. Manet itaque, inquam, jus ſepulcri etiam apud illos, qui ab hereditate excluſi, niſi teſtator ſpecialiter odio commotus illis inferendi jus denegaſſet, ut idem docet *Ulpianus L. VI.* Solebant enim veteres controverſiarum, quæ inde oriri poſſent, tollendarum causâ expreſsè & diſertè cavere haut rarò in Sepulcrorum cippis, de perſonis, quas vel inferri monumento ſuo, vel ab eo excludi volebant; unde hæ inſcriptionum formulæ in Romanorum monumentis;

SIBI. ET. CONJUGI. ET. LIBERIS. ET. LIBERTIS. LIBERTABUSQ;. EORUM. FECIT.

HOC. MONUMENTUM HEREDES. NON. SEQUITUR. HOC. MONUMENTUM.

EXTERUM. HEREDEM. NON. SEQUITUR. &c.

Auguſtum Cæſarem Julias, filiam neptemque probris contaminatas ſuo inferri ſepulcro vetuiſſe, *Sveto-nius* narrat *in vita* ejus in fine. Cæterum in hæc familiaria & hereditaria monumenta inferre mortuum, alteri licebat minimè, libenter enim ſuorum tantùm modò cineres admiſceri ſibi volebant. Solon, Atticorum Legiſlator, pœnâ coercuit illos, qui ſepulcra delebant, aut in gentilitia alienum inferebant, quam legē inter cæteras ad Romanos transtulerunt Decemviri, ad id *in* Græciam à Romanis miſſi, *Cicero* II. de LL. Et, quod omittendum non eſt, majorum

majorum ſuorum, charisſimorumque monumentis condi, interque ſuos poſt fata cubare jucundisſimum eſſe conſvevit humanitati. Hinc *Hector* magnus Achillem rogavit, ut ſe exanimem parentibus redderet, patriâ ſepulturâ afficiendum. Sed ſacra potius videamus exempla: *Jacob* duodecim tribuum pater dormire cum patribus ſuis, condique in ſepulcro majorum ſuorum volebat, *Geneſ. XLVII, 30.* quam ipſam voluntatem optimi parentis optimus filius Joſeph exequutus eſt, *Geneſios extremo v. 13.* Quanquam altius conſcendiſſe putandus ſit Sanctiſsimus Patriarcha; neque enim hujus deſiderii causa fuit tàm naturalis affectus, quàm 1. terræ Canaan promiſsio. 2. Eccleſiæ conjunctio. 3. Meſsiæ expectatio. 4. ſperata cum Chriſto reſuſcitatio, docente B. Avunculo meo, *Gerhardo* in h. l. Hinc D. *Calixtus* in eundem hunc locum: *Naturæ aliàs conſonum eſt deſiderium, ut cupiat, corpus tuum vitâ functum oſsibus majorum, eorumq; quos amaveris, conjungi.* Hoc *tamen non tam reſpexisſe videtur*, (Jacob) *quàm teſtatum ivisſe fiduciam ſuam de adimplendis divinis promiſsionibus.* Senex ille Tobias filium monet ſibi cognominem, ut matrem ſuam Annam eodem tumulo ſecum componat. Sic Johannis Chryſoſtomi mater ab ipſo, ut ſua cum mariti oſsibus oſsa jungeret, rogavit, libr. I. de ſacerdotio. Et Monica S. Auguſtini mater, ut ad maritum ſuum ſepeliretur, moriens rogaſſe fertur. Hinc *S. Hieronymus: Quos conjunxit unum conjugium, conjungat unicum ſepulcrum, quia una caro ſunt, & quos Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Moris hîc recordor Veterum, cujus meminit Doctiſsimus *Meurſius*, Exercit. Critic. part. *II.* Lib. *II.* cap. *XV.* & *Kirchman.* libr. *III.* de Fun. Rom. cap. *XIV.* quo conjuges, amici & amaſii, qui fide & amore inter ſe mutuò inſigni fuiſſent, uno eodemque componebantur tumulo. Judæis etiam hanc conſvetudinem fuiſſe generalem, ut ſcil. uno conjuges ſepulcro clauderentur, docet *Abulenſis II.* Reg. *XV.* q. 14. & ex eo *Lorinus* in Cap. V. Actor. v. 10. Et probant exempla; Nam Abraham & Sara & Geneſ. *XXV*, 10. Iſaac & Rebecca Gen. *XLIX*, 31. Jacob & Lea *ibid.* eodem tumulo clauſi ſunt. Hinc *Sanctius* in cap. *II.* Act. p. 79. *In ſepulchra illa* (Hebræorum) *non unum tantùm inferebatur cadaver, ſed tota familia in illa jus habebat quaſi hæreditarium, quare in ſepulchro Abrahæ conditi ſunt poſtea Iſaac & Jacob & ſæpe poſteri inclu-*

cluſi eſſe dicuntur in parentum monumentis. Et inde natus eſt dicendi modus; dormire cum patribus ſuis & apponi ad parentes ſuos, &c. Hæc ille. Juxta Sanctorum quoque corpora ſepeliri fidelibus ſemper optatiſſimum fuit. Sic & Propheta voluit juxta alium Prophetam ſepeliri, 1. Reg. XIII. v. 31. S. *Maximus* Serm. 77. de SS. Oct. Advent. & Solut. *Ideo namq;* inquit, *hoc à majoribus proviſum eſt, ut ſanctorum oſſibus noſtra corpora ſociemus, ut dum illos Tartarus metuit, nos pœna non tangat, dum illos Chriſtus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat.* Adtexam cætera de Sepulcrorum generibus: Erant enim præterea *publica monumenta* apud Romanos, in quibus ij locabantur, qui honoris ergò de publico ſepeliebantur. *Meurſius* loc. alleg. lib. III. cap. XX. Erant & alia peregrinis vel in bello cæſis ſtructa. Eaque πολυανδεῖα dicebantur, qualia Athenienſes illis, qui in bello pro patriâ occubuiſſent, in Ceramico extra urbem publico ſumptu conſtituebant, vide *Meurſium* l. c. cap. XXXV. *Kirchman.* de F. R. Lib. II. cap. XXV. Judæorum Pontifices XXX. argenteis, quibus proditor Judas inductus, operam ſuam improbam illis addixerat, emiſſe legimus *Matth.* XXVII, 7. agrum figuli cujusdam *ad ſepulturam peregrinorum*, i. e. eorum, qui ex variis Orbis terrarum partibus annuatim ad ſolennia Hebræorum feſta venirent, adoraturi Dominum, *Hunnius* in h. l. vel etiam, quorum aliàs complures eſſent Hieroſolymis, quipe in Judææ metropoli & τῆς οἰκουμένης i. e. Orbis habitabilis (ita credebant Veteres,) umbilico, ibidemque decederent extra patriam. Peregrina aliàs ſepulchra appellabantur, in quibus aut honoris aut amicitiæ aut neceſſitatis cauſa alii non ejusdem familiæ ſepeliebantur, quorum reſpectu peregrina dicebantur. Sic Salvator noſter in peregrino ſepulcro eſt compoſitus, & Ennius in monumento Scipionum. Vide *Marcum Zuerium Boxhornium*, in Quæſtion. Romanis, quæſt. X. Hactenus de ſepulcris propriè dictis, reſtant monumenta, quæ memoriæ gratiâ alibi ſepultis, aut religionis causâ ſepulturæ planè expertibus erigebantur, ut ſi *nudus in ignotâ jaceat Palinurus arenâ.* Græci κενοτάφια appellant. *Statius, inania buſta & vacua ſepulcra* vocat, libr. XII. Thebaid. *Inane ſepulcrum* ejusmodi monumentum nuncupat *Ovidius* libr. VI. Metamorph. Fabula de Progne. *Tumulum honorarium Svetonius in* Claudio, ab initio. Taleque Druſo in æſtivis caſtris

caſtris mortuo & Romam è Germania devecto ibidemque in Martio campo tumulato, ab Exercitu propè Rhenum eſſe excitatum, ſcribit. *Budæus* in Pand. *Quorum cadavera*, inquit, *haberi ad ſepulcrum non poterant, ut qui peregrè obiiſſent, aut naufragio periiſſent, iis Cenotaphium extruebatur, quod tantum valebat, quantum ſepultum plena.* Dixi religionis causâ talia extructa fuiſſe ſepulturæ planè expertibus. Credebant enim Ethnici, defunctorum animas, ſi honore ſepulcri carerent omni, ſtygiam paludem tranare non poſſe. Hæcque ſuperſtitioſa opinio Cenotaphiorum uſum adinveniſſe videtur. Honorarium Scipionis Africani monumentum ſub pinu æneâ Romæ fuit, teſte *Georgio Fabricio*, in tractatu de Roma cap. XX. *Sepulchrum Scipionis Africani*, inquit, *ſub pinu ænea honorarium: nam Liternenſes hoſpites de vero Scipionis tumulo ſe meritò jactant. Dicitur autem in Vaticano pinus altiſſima ænea fuiſſe erecta, Carthaginem verſus, de qua una adhuc nux aliquot pedum altitudine, ante baſilicam S. Petri cernitur, vetuſti operis & inaurata.* Hæc ille. Athenis, in ſacro Minervæ Campo, è Piræeo in Urbem aſcendentibus juxta viam Euripidis in Macedonia tumulati, κενοτάφιον fuiſſe, autor mihi eſt *Joh. Meurſius*, Athenarum Atticarum lib. I. cap. 1. Moris etiam Pythagoricorum fuit, ut iis, qui à Philoſophia ſua defeciſſent, Cenotaphia tanquam mortuis extruerent, ut confirmant *Origenes* lib. 1. contra Celſum, *Clemens Alexandrinus* libr. V. Stromat. & *Jamblychus* in vita Pythag. Inanis & honorarii tumuli γνώρισμα ſive ſignum apud Athenienſes fuit ἱκρίον, ſive lignum ſurrectum, vide *Marcellinum* in vita Thucydidis. *Paulus Warnefridus* Diaconus Aquilejenſis Carolo M. inprimis charus, (ita ut ejus operâ diebus Dominicis & Feſtis ex Evangeliis & Epiſtolis lectiones, quæ hodieque uſurpantur adſignaſſe | feratur, libr. V. de Rebus geſtis Longobardorum ſcribit; Longobardos intra ſepulcra, quæ ad amicorum ſuorum alibi tumulatorum memoriam refricandam extruxerant, perticam fixiſſe, inque ejus ſummitate ligneam columbam poſuiſſe, quæ in illam cœli plagam verſa, ad quam illorum dilectus occubuiſſet & quieſceret. Cenotaphia etiam Chriſtianos in honorem Martyrum excitaſſe, colligi poteſt ex *Prudentii* lib. περὶ στεφάνων, taliaque in commemorationibus defunctorum erigi dicit *Gretſerus* de fun. Chriſt. l. III. cap. VI. Venio ad alteram

Capitis partem, structuram & ornamenta Sepulcrorum contemplaturus. Singularia autem vel Priva sepulcra nihil aliud fuêre antiquissimis temporibus, quam scrobes in terra cavati, quibus infodiebantur potiùs, quàm sepeliebantur cadavera, docente *Kirchmanno* libr. III. cap. XV. Talem scrobem coram sibi fieri imperavit Nero, cum mortem sibi instare videret, ut autor est *Svetonius* in vita ejus. Communia verò, Familiaria puta & Hereditaria monumenta, subterranea plerumque fuerunt ædificia, concamerata, pavimento strata, ac parietibus circumsepta, in quæ per gradus aliquot fuit descendendum. In parietibus per ambitum loculi fuêre dispositi, in quibus urnæ locarentur. In his sepulchris habitabant pulverei ac cineresi mortui, tanquam in domiciliis. Vide hæc plenius apud *Martianum* lib. IV. Topographiæ Urbis Romæ cap. XIX & *Georgium Fabricium* libello de Roma cap. XX. istorum sepulcrorum ἀναπλας. Et ne admodum diversam fuisse putes Græcorum & Romanorum faciendorum loculorum & urnarum condendarum rationem, subjungit jam dictus *Georgius Fabricius*; *Testatur Ciriacus Anconitanus* (*cujus scriptas quasdam chartas evolvi*) *se Patris in Achaja ad edem S. Andreæ* (*qui ibidem martyrio coronatus est,*) *antrum subterraneum ex integro solidoq; lapide vidisse, miro artificio fabricatum, in quod per gradus sedecim descensus fuerit, quodq; ad tetragonos parietes habuerit, loculos quatuordecim, in quibus singulis bina aut terna urnæ funerales fuerint locatæ.* De Ægyptiorum Sepulcris ita *Furerus*, in Itiner. Terræ S. fol. 25. *Ad locum illum delati sumus, ubi sepulcra sunt, quæ tantum continent ambitu suo, quantum urbs Alexandria, quem locum ut & cadavera ipsa incolæ Mumias vocant. Sunt autem Sepulcra singula lapidibus instructa instar putei cum foramine quadrato, profunditate hastæ longitudinem exequante, in quæ non est difficilis descensus. In imo aliud foramen est minus, per quod difficulter transiri potest: ubi angusta est caverna cadaveribus plena, quæ tamen omnia eleganti ordine disposita sunt. Juxta hanc aliæ sunt continuæ, eadem formâ, ita ut ab unâ ad alteram transiri possit tanquam in labyrintho quodam. Ipsa cadavera vetustissima erant, & sive aromatum copiâ, sive vetustate, nigra admodum, ex urbe Memphi huc delata.* Porrò, in ipsis monumentis suis columnas & statuas erexerunt Romani, pariter ac Græci, quod notum omninò est ex

est ex Veterum historiâ. Domunculas etiam atque ædificia superponere sepulchris solenne fuisse Romanis, vetus inscriptio docet: M. AURELIUS. ROMANUS. ET. ANTISTIA. CHRESIME. UXOR. EJUS. FECERUNT. SIBI. LIBERTIS. SUIS. POSTERISQ;. EORUM. MONUMENTUM. CUM. ÆDIFICIO. SUPERIMPOSITO. Neque infrequens cùm in Urbe, tùm in reliquâ Italia, atque etiam in Græcia fuit, circumvallare veluti & munire defunctorum tumulos sepimentis, puta maceriâ, aut aliqua humili levique materia, quandoque silice vel saxis. Neronis monumentum lapide Thasio circumseptum fuisse *Svetonius* refert in Nerone. Vel denique ferro, ut de Augusti Mausoleo refert *Strabo*, libr. V. γεωγ. Apud Danos nihil hoc ritu olim fuit frequentius, qui grandibus saxis vel quadrato vel rotundo ordine tumulos cingere & sepire solebant. Vide *Olaum Wormium* Monumentorum Danic. lib. III. de Monumentis Scaniæ. Ipsos autem tumulos in monticuli seu collis magnitudinem aggestâ glebâ & lapidibus extruebant. Vide eundem lib. I. cap. VI. Germani veteres operosa sepulcra ut ingrata defunctis aspernati sunt: itaque humili condebantur tumulo. Rei huic fidem facit *Tacitus*, libello de Moribus Germanorum: *Sepulcrum* (apud Germanos) *cespes erigit*, (Cespes non unus, qui parum erigebat sepulcrum: sed complures, in unum tumulum adgesti, inquit *Cluverius* antiquæ Germ. Lib. I. c. 53.) *Monumentum arduum & operosum honorem ut gravem defunctis aspernantur.* Scotis sepulcra nobilium obelisicis decorare mos fuit, totidem affixis, quot ipsorum ductu hostium occidissent nobiles, ut notat *Hector Boëthius* de moribus Scotorum, quos præmittit historiæ suæ Scoticæ pag. 2. De Turcis scribit *Busbequius* D. Legationis Turcicæ Epistol. I. pag. m. 83. quod *soleant procul comportatis ingentibus saxis sepulcra suorum, alioqui inania, nullâ injectâ terrâ, tegere, eâ quidem de causâ, ut malo dæmone accusante & rationem vitæ à mortuo exigente* (*nam ita credunt,*) *defendente vero bono Genio, locus sit ubi mortuus sedere & se causæ commodiùs dicenda posit erigere. Idcircò verò gravia lapis injicitur, ut tutiora sint cadavera à canum, luporum, reliquarumq; bestiarum injuriis.* In Africa extra Fessam, urbem totius Barbariæ, nobilissimæ Africæ regionis principem, multos ubique nonprocul ab urbe campos reperias, qui in publicam defunctorum sepulturam

à nobilibus quibusdam sunt relicti. Sepulchro ferè oblongum atque figurâ triangulari saxum superimponunt. Si quando nobilis aut alicujus momenti civis moritur, huic saxum unum ad caput, unum item ad pedes ponunt, quibus epitaphium insculpi consvevit, unà cum die & anno, quo ex hac vitâ migravit, ut refert *Joh. Leo Africanus*, in descriptione Africæ Libro III. pag. m. 258. Sed ad Romanos Græcosque regredior, illi variis rerum simulachris exornare monumenta assolebant antiquitùs, quod ex plurimorum sepulchrorum ruderibus Romæ observavit sæpè laudatus *Georgius Fabricius*, in Roma p. 202. 203. ad quem curiosum harum rerum indagatorem remitto. Diversis quoque emblematibus & signis, quibus defunctorum studia conditionesque plerumque denotarent, tumulos suos decorare consveverunt. In Archimedis Syracusani, unici (ut *Livius* ait) spectatoris cœli siderumque, sepulcro depictam sphæræ figuram & cylindri notavit *M. Tullius*, ut testatur ipse V. Tuscul. Ipsius verò Isocratis monumento pilam triginta cubitorum erectam fuisse, ac in illius fastigio Siren septem cubitorum, cantantis speciem præ se ferentem, ad eloquentiæ svavitatem significandam, *Plutarchus* in X. Rhetoribus & *Philostratus* in vita Isocr. tradunt. Vide & *Jacobum Pontanum* Progymn. libr. IV. prog. 65. Apud Hebræos potentiorum sepulchra non erant in terrâ defossa, ut nostrâ ætate plurima, sed in spelunca ex lapide cavato. Probat id spelunca, quam ab Ephrone emit Abraham in sepulcri possessionem, Gen. XXIII. & Sepulchrum Christi mundi Salvatoris, quod sibi Joseph ad Hebrææ gentis consvetudinem excavarat in saxo, ut sequente capite pluribus dicetur. Neque copora humata erant plerumqve aut inclusa thecis, sed in loculis ita exposita, ut videri, tangique ab ingredientibus possent. Ex quo intelligimus, quomodo cadaver ejus, qui à latronibus est occisus, tangere potuerit ossa Elisæi Prophetæ, 2. Reg. XIII, 21. Christianorum sepulchra fossæ erant plerumque lapidibus stratæ. Confirmo id testimonio *S. Hieronymi*, qui in Epistola 49. tomi I. ad Innocentium de muliere septies icta, scribit; *Clerici, quibus id officii est, cruentum linteo cadaver obvolvunt, & fossam humum lapidibus construentes, EX MORE tumulum parant. Sepulturæ mandantur Christianorum corpora*, inquit *Gretserus* libr. II. de Funer. Christ. c. IX. *& aliquando quidem terræ infodiuntur; ternam autem*

autem optimum habemus operimentum, inquit S. *Chrysostomus* Homil. 84. in Johann. *& ipsi corporum naturæ decentius.* Aliquando quasi in conclavibus cameratis & fornicatis, quibus cœmeteria vel templa constant, deponuntur; pro varia regionum consvetudine, sunt & qui extra humum, in sublimi, nempe in Ecclesiarum parietibus, sepulcra sibi erexerint. Sepulcris cruces fuisse impositas, non uno documento probat jam dictus *Jacobus Gretserus* Tom. I. de S. Cruce lib. I. cap. 15. Ipseque Kennethus, Scotorum Rex, *sepulcrum omne sacrum haberi, idque Crucis signo adornari* jussit, ut refert supra citatus *Hector Boëthius* lib. X. Historiæ Scoticæ. Martyrum verò reconditoriis altaria, in quibus sacris Mysteriis fruebantur, superædificare in more habebant Christiani Veteres: *Prudentius* in triumpho Hippolyti:

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis
Propter ubi appositæ est ara dicata DEO.
Illa sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui martyris apposita.
Servat ad æterni spem judicis ossa sepulchro,
Pascit item sanctis Tybricolas dapibus.

Vide *Barthium* Adversar. libr. XLIV. cap. 2. His rursum Martyrum sepulcris & altaribus superædificabantur Templa, quæ dicebantur *Martyria.* Vide *Cornel. à Lapide* Comm. in XI. cap. Esai. Restat materiæ Monumentorum diversitas. Sepulcra enim alia erant *lapidea*, alia *testacea*, qualia Corinthiorum fuisse pleraque testatur *Strabo* libr. VIII. alia *marmorea, ænea* alia. Tumulos Pontificum, Martini Quinti, in S. Johanne Laterano, & Sixti Quarti in S. Petro Vaticano, *æneos*, Piorum Secundi & Tertii, Hadriani Sexti *marmoreos* esse dicit *Georgius Fabricius* in Roma sua cap. XXI. Æthiopum quorundam fuisse *vitrea* monumenta, refert *Herodotus* libr. III. cap. 6. his verbis: *Posteaquam mortuum sive Ægyptiorum sive aliorum more arefecerunt, totum gypso obducunt, picturaq; exornantes repræsentant, quod fieri potest, effigiem ejus: deinde cippum ei cavum è vitro, quod apud illos multum est, & facilè effoditur, circumdant: in cuius medio mortuus interlucet, ut ab hominibus conspici queat, nullum de se spargens odorem.* Alexander ab Alexandro lib. VI. Genial. dier. cap. 14. *Ægyptiis*, inquit, *tria fuêre sepulchrorum genera: unum præcipuum & maximi sumptus, quod argenti ta-*

lento ta-

lento taxabatur: medium minarum viginti: humile verò ex levi materia, minimæ impensæ. Clariora fuêre Æthiopibus: nam ditiorum monumenta ex auro fiunt, tenuiorum ex argento, inopes autem conduntur fictilibus. Hæc ille. Diversa reconditoria! Omnium tamen illorum, qui disparibus monumentis tegun-

tur, parem in exitu sortem fuisse, ipsâ impellente Philosophiâ scribit *Seneca*;

Æquat omnes cinis. Imparès nascimur, pares morimur.

Tandemque in uno similes cuncti videmur, quòd omnes, excepto nullo, ad tumulum, sive lapideum sive aureum, vadimus.

CAPUT XI.

Sepulcra aliquot insignia repræsentans.

INtueri Monumenta, quæ Regum & magnorum hominum cineres ac ossa contegunt, magnum semper habitum est ad Virtutem incitamentum. *Chrysostomus* in Babylam Mart. sive contra Gentiles inquit; *Post sermonis facultatem ipsa certè Sanctorum sepulcra proximum locum obtinent ad animos hominum in ipsos Sanctos intuentium, ad virtutum earundem æmulationem excitandos.* Ad illa itaque sæpius deducti Regales pueri, cùm ut ad virtutum majorum æmulationem excitarentur, tùm ut agnoscerent, Reges & Principes, æquè ac alios caducâ vestitos togâ, mortique tributarios esse. C. Julium Cæsarem cupidè inspexisse sepulcrum Alexandri M. tradit *Lucanus* lib. X. Augustus Imperator Alexandriam ingressus, id quod primùm in eâ urbe conspicere optavit, Alexandri illius Magni corpus fuit, idque adtrectatum floribus totum conspersit & coronæ prosequutus est honore. *Dio* lib. LI. B. *Chemnitius* Exam. Trident. de Reliq. Sanctor. part. IV. p. m. 669. Inspectionem hanc sepulcrorum *scholam* vocat *nostræ humilitatis* jam adductus *S. Chrysostomus* de fide & lege. *Ubi, ante oculos nostræ humilitatis schola; & docemur, in quid desinamus tandem, docemur, qualia futura sint phantasmata.* Contemplaturi itaq; Sepulchralium Pyramidum & Mausoleorum structuras, molesque, ante omnia Domini ac Servatoris nostri, qui salutis nostræ causa non nasci

nasci tantùm, sed & mori ac sepulchro includi voluit, Monumentum, (quod *B. Athanasius* seculo suo Orbis oculus, Orat. in S. Parasceven, *immortalitatis receptaculum, resurrectionis officinam, & sepulchrorum dissolutionem* seu *destructionem, Eusebius* verò *Cæsariensis* seculi sui sine controversiâ vir eruditissimus (Judice *Casaubono*) Lib. III. de Vita Constantini, c. 24. *Sanctissimum Salutaris resurrectionis Christi locum* & c. 25. *divinum immortalitatis monumentum*, Germani nostri das heilige Grab vocant,) intuebimur. Fuit id non proprium, sed alienum, nempe Josephi, oriundi ab Arimathæa. Qui enim *in vita non habebat domicilium, neq; post mortem habet tumulum*, ut piè *Theophylactus* in XIX. Johann. Et *in alienum sepulchrum ponitur, quia pro aliorum salute moriebatur.* Novum tamen fuit, ἐν ᾧ οὐδέπω οὐδεὶς ἐτέθη, ut inquit dilectus Jesu discipulus in suo Evangelio cap. cit. v. 41. ac in solidâ rupe excisum & excavatum in horto. Observant ex Thalmudicis & Rabbinicis scriptis *Isaacus Casaubonus* Exercit. XVI. num. XCVIII. & XCIX. *B. Gerhardus*, Avunculus meus desideratissimus in Harmoniâ Evangelicâ Historiæ Passionis Christi cap. XIX. & alii. Moris fuisse inter Judæos, ut pro condendis suorum exuviis in petris ac rupibus, quas magnâ copiâ regio circa Hierosolymam inprimis offerebat, cavernam exciderent, quatur cubitorum supra sex, id est, ut videtur *Casaubono*, longam sex, latam verò quatuor cubitos. In hujusmodi cavernâ (quam appellabant Hebræi קֶבֶר i. e. sepulchrum ab usu & sine, ac מְעָרָה, speluncam sive antrum à formâ, unde & sanctum illud Domini monumentum apud Scriptores Ecclesiasticos sæpissimè, præsertim *Eusebium* l. cit. & *Sozom.* l. 2. H. E. ἄντρον, σπήλαιον, *antrum sacrum, spelunca sancta, salutare antrum* &c. appellatur) *octo* (secundùm alios *tredecim*) excavabant foramina, quæ conditoria erant pro singulis corporibus reponendis. Neque enim singuli separatim à suis sepeliebantur, sed tota familia in speluncâ unâ, conditis singulis corporibus in singulis foraminibus. Ut ex *R. Samuele Ben Meier* docet *Casaubonus* & suprà cap. IIX. ex eodem insinuatum est. Ante os speluncæ חָצֵר i. e. *atrium* erat sive *area*, lapis etiam, quem גּוֹלָל appellabant, advolvebatur foribus, an monumenti totius, an verò conditorii, in quo repositum erat aliquod corpus? Dubitare videtur *Casaubonus*, lapidemque, cujus Evan-

jus Evangeliſtæ meminerunt, non foribus horti, ſed vel monumenti vel conditorii illius, in quo poſitum fuerat corpus Dominicum, advolutum fuiſſe aſſerit, Exerc. XVI. num. CXXII. *D. Calixtus* in Concordia Evangel. lib. VII. Cap. 1. non tàm monumenti, quàm conditorii foribus eundem fuiſſe advolutum exiſtimat. *Et certè* (inquit) *lapidem, cujus meminit hiſtoria Evangelica* (Matth. XXVIII, 2. Luc. XXIV, 2.) *maximè veroſimile eſt, advolutum fuiſſe ori foraminis ſive conditorii, in quo quieſcebat corpus Domini. Parum intererat cæteræ omnia claudi, præſertim cum monumentum eſſet novum, in quo nondum quiſpiam poſitus fuerat.* Nec eſt, cur cum *Maldonato* in Matth. XXIIX, 3. duos vel cum *Barradio* Harm. Tom. 4. l. 8. c. 2. & 3. tres lapides diverſis veſtibuli ſpecûs, conditorii oſtiis occludendis fingamus, cum unius tantùm, tùm in hiſtoriâ Evangelicâ, tum apud Patres fiat mentio. Tale ergò fuit monumentum Chriſti, in quod ingreſſus patebat, tanquam in Cameram excavatam, Marc. XVI, 5. Mulieres ingreſſæ ſunt in monumentum, ipſum autem conditorium, quod unum erat ex octo vel tredecim illis cavatis foraminibus, in quo repoſitum erat ſanctiſſimum Chriſti corpus, tantùm introſpici poterat. *Caſ. Baronius* Tom. 2. Annal. Eccleſ. anno 34. n. 187. & *Cornel. Janſenius* Comm. in Concord. Evangel. exiſtimant, ſpeluncam fuiſſe duplicem peramplam, cujus pars anterior veſtibulum, poſterior ſeu interior autem pariete quaſi interſtincta ſpecum ſepulchralem demum exhibuerit, idque ex *Cyrillo Hieroſolym.* Catech. 14. oſtendere conatur *Baronius*. Scribit ibi Cyrillus, adhuc ſuâ ætate ſepulchra Judaica ante aditum ipſum habuiſſe σκέπην quandam ex eodem lapide, ac talem forſan non defuiſſe Monumento Dominico, ſed hoc non ſtatim eſt veſtibulum peramplo eidem ſaxo inciſum; σκέπη enim & προσκέπασμα aut parvam quandam Loricam notat circum monumentum, terram forte aliquot pedum eidem adjungentem, & à reliquo horti agro hominumque uſu ſeparantem, aut projectum ſeu protectum, prominentiam quandam Græcis γεῖσον dictam, qua magnarum ædium ſuperliminaria ornari aſſolent ac muniri, ne ſtillicidia fores, & qui conſiſtunt in iis, malè habeant. Vide *Caſaubonum* d. Exercit. num. 122. Diſtabat autem gloriоſum & Σωτῆρος noſtri Sepulcrum à monte Calvariæ ſive Crucis Dominicæ ſede centum & octo pe-

cto pedum ſpatio, à monte autem Sion paſſibus mille, teſte *Adrichomio* in deſcriptione Jeruſalem numer. 239. Cæterùm elevatum fuiſſe in aliquam altitudinem ſupra terram quietorium Chriſti, quidam ſuſpicantur, verùm id viris doctis & antiquitatum Judaicarum peritis non fit veroſimile. Præſertim cum jam dictus *Cyrillus Hieroſolymitanus*, in Catecheſi 13. inter Chriſti ac Regum ſepulchra hoc ponat diſcriminis, quod ſepulchrum Domini non fuerit exaggeratum ſupra terram, ut ſolent eſſe Regum monumenta. ἆρα μὴ τῶν τῶν βασιλέων ὑπερανέχει τῆς γῆς, h. e. *num ut Regum ſepulchra ſupereminet ſupra terram?* quæ interrogatio negationi æquipollet. Verius igitur eſſe exiſtimat *Caſaubonus*, rupem, in qua monumentum illud fuit exciſum, aut nihil aut parum admodum ſupra ſoli ſuperficiem eminuiſſe, cum & ab *Euſebio* ſemper ἄντρον vocetur, libr. 3. de Conſtantino Magno, *Beda*, qui ob vitæ Sanctimoniam morumque gravitatem venerabilis cognominatus eſt, & ſub finem ſeptimi & ſub initium ſequentis ſeculi floruit, formam ſepulchri Chriſti his verbis deſcribit, in Cap. XV. Marci: & l. de locis ſacris. *De monumento*, inquit, *Domini ferunt, qui noſtra ætate de Hieroſolymis Britanniam venére, quòd domus fuerit rotunda, de ſubjacente rupe exciſa, tantæ altitudinis, ut intrò conſiſtens homo vix manu extensâ culmen poſſit attingere. Quæ habet introitum ab Oriente, cui lapis ille magnus advolutus eſt. In cujus monumenti parte Aquilonari, ſepulcrum ipſum, hoc eſt, Dominici corporis locus, de eadem petrâ factus eſt, ſeptem habens pedes longitudinis, trium verò palmarum menſura cætero pavimento altius eminens. Qui videl. locus non deſuper, ſed à latere meridiano per totum patet, unde corpus inferebatur. Color autem ejuſdem monumenti ac loculi, rubicundo & albo dicitur eſſe permixtus.* Verùm ex hac deſcriptione Veterem ſepulchri Dominici formam nos poſſe diſcere nemo ſibi perſvadeat. Prima enim ſpeluncæ illius forma ac facies planè eſt immutata, idque antè plurima retrò ſecula, ut nec hodiernæ nec proximorum ſeculorum deſcriptiones veterem formam exhibere judicandæ ſint. Scribit namque *Euſebius*, Locum ſepulchri aggeſtâ terrâ aliisque rebus à paganis fuiſſe obrutum, atque ita ſepultum quaſi ſepulchrum eſſe Salvatoris, nè ulla extaret ejus memoria. Verba *Euſebii* libr. 3. de Vit. Conſt. c. 24. & ſeqq. hæc ſunt: *Iſtud Servatoris ſepulchrum impii quidem & ſcelerati homi-*

re homines ex hominum memoriâ delere cogitabant, & (quæ eorum insciti a fuit) censebant veritatem ad hunc modum se posse occultare. Itaq; primùm permultum capere laboris cœperunt, in terra aliunde & extrinsecus invehendâ, quâ locum universum obducerent, deinde cum molem terræ in immensam altitudinem erexissent, constravissentque lapidibus divinum sepulchrum, ingente aggere supra injecto obtegere. Post cum nihil jam illis ad opus explendum deesset, super illum terræ cumulum, nefandum reverâ & exsecrabile bustum animarum construere & recessum Lasciva Veneris damoni unà adificare, simulacrisq; mortuis complere: tum detestabiles ibi victimas, super impuras aras & omni nequitiæ labe pollutas immolare. Hieronymus etiam ad Paulinum Epist. 13. inquit; *Ab Adriani temporibus usque ad imperium Constantini per annos circiter CLXXX. in loco resurrectionis simulachrũ Jovis, in crucis rupe statua ex marmore Veneris à gentibus posita colebatur.* Sed de Jovis Capitolini templo aliter statuunt *Dio* in Vita Adriani, *Xiphilinus* & alii. Illud scil. non eo loco, quo crucem passus est & sepultus Salvator noster, sed quo olim augustissimum illud Salomonis templum steterat, excitatum atque erectum ab Adriano esse. Seculo itaque quarto demum, cum, mutatâ Orbis Romani facie, post graves & diuturnas persecutiones sub Constantino Magno respiraret rursum Ecclesia, Maximo illi Romanæ urbis (ut est in antiquis Epigraphis) liberatori, quietis fundatori, & reip. instauratori in mentem venit, Monumenti Dominici inquirendi ac ibidem templi excitandi, dum aliis passim in locis sacras excitasset ædes. Sic enim rursus *Eusebius*, qui eâ & vixit & scripsit ætate, loco supra citato. *His rebus ad hunc modum constitutis, aliud quoddam opus maximè memorabile apud Palæstinorum gentem divinus iste imperator efficere aggressus est. At quodnam quæso? Sanctissimum illum Salutaris Christi resurrectionis locum Hierosolymis existimavit ita à se illustrari debere, ut omnibus eximius & veneratione dignus videretur &c. Ruffinus* l. I. c. 7. & 8. nullâ factâ Constantini M. mentione Helenam matrem Constantini inventis in loco passionis tribus crucibus templum ibi regiâ ambitione mirificum extruxisse refert. *Socrates* etiam lib. 2. c. 13. Helenæ tribuit monumenti inquisitionem pariter & inventionem, eamque ibi templum constituisse pronunciat. *Sozomenus* libr. 2. c. 1. habet, cogitasse quidem primò

primò Constantinum gratitudinis ergò exornare Hierosolymis Calvariæ locum templo, sed Helenam interea eo loci devenisse, & ægrè quidem eruisse tandem destructo Veneris fano sepulchrum cum crucibus ad latus loci confusè positis, & hinc augustam illam impositam ibi Basilicam esse. Ita se accepisse, adjicit *Adrichomius* in descriptione Jerusalem, num. 142. refert, à S. Helena, Constantini Magni matre (cujus multa & egregia erant per Romanum Imperium opera) hoc in loco conditam esse basilicam, quæ reliquas totius Orbis amplitudine atque pulchritudine longè excelluerit: *Nam*, inquit, *auratis coruscа laquearibus & aureis dives altaribus, marmoreis septuaginta tribus columnis fulcitur: & tam resurrectionis, quàm crucifixionis locum sub uno eodemq; tecto comprehendit: quod in sui medio rotundo patet foramine apertum, sub quo in inferiori Ecclesiæ parte Dominicum consistit sub dio sepulcrum: cui passionis Christi theatrum, mons Calvariæ, nunc viginti octo pedes altus, chori loco adhæret, qui octodecim gradibus, quorum singuli pedem & semissem in altitudine continet, sui accessum præbet.* Hæc ille. Sed magnificentissimum illud templum ad Christi sepulchrum à Calipha & Sultano Ægyptio (qui *Hacham* sive *Albacham* ab aliquibus nominatur) destructum est sub exordium seculi XI. sive Anno Salutis nostræ 1010. vel 1012. Hodiernam sepulchri Domini formam *Bernhardus Bredenbachius*, *Adrichomius*, *Brocardus*, *Wolffg. Münzer*, qui circa a. 1483. 1556. loca illa sancta adierunt & lustrarunt, hoc modo describunt: *Nimirum in medio templi rotundi, sub aperturâ ampla ac dio petm est excisa quadrata XVI. pedes longa, IIX. pedes lata, altaq; totidem, marmore candido exterius obducta, interius strata.* Versus ortum est janua *non satis alta. Ingressis vestibulum apparet & paries medius speluncam bipartiens, in quo per humile ostiolum irrepere potius, quàm ingredi in partem petræ posticam licet, in qua ad dextram & latus septentrionale locus sepulti olim Domini seu caverna conspicitur, marmore grisei coloris intecta, trium altitudine palmorum, octo pedum longitudine pendentibus è sublimi faculis perpetuo igne lucentibus. Intrare neminem facilè, nisi qui ante 9. Zekinos s. Ducatos quos vocamus, solverit.* Simulacrum illius Monumenti videre est Gœrlicii in Lusatiâ superiori, quod Patricius quidam illius urbis *Georgius Emmericus* superiori seculo XV. ex Palæstina redux

na redux ad imaginem non veteris & verioris dormitorii ſacri, ſed recentioris formæ condidit. Vidimus mundi Creatoris exiguum, quo clauſus fuit, vaſculum, in quo mors ipſa emortua eſt, & vita finem neſciens, exorta. Secedamus in Sanctorum Regum aliorumque ſepulcrorum ſecreta. Monumenti familiæ Davidicæ Regumque poſt David, quod Maximus Regum ac divinæ homo ſapientiæ Salomon regio opere & munificentia extruxit, ut tradit *Joſephus* lib. VIII. Antiq. cap. ult. deſignatio prolixa habetur apud *Pinedam* Libr. VIII. de rebus Salomonis cap. III. p. 772. ex traditione *Danielis Barbari*, Patriarchæ Aquilejenſis, qui cum Jeroſolymis locum monumentorum regalium luſtraverat, & deſcriptione *Sebaſtiani Serlii* lib. III. de Architectura, cui ipſumet ædificii veſtigium ſuâ manu deſignatum Daniel Barbarus tradiderat. Verba ipſa lubet adſcribere, cum rarò in Studioſorum manus autor iſte incidat: *Sub præcelſo & marmoreo monte tres omninò cellæ excavatæ diſtinguntur ſuis teſtudinibus, in eodem nativo ſaxo excisis. In primo ingreſſu, ſeu prima cellâ quatuor delubra, bina ex utrâq; parte, quaſi quatuor reconditoria ſingula hominis capacia cernuntur. In medio, i. e. in ſecunda cella, quæ ampliſima eſt, ſunt delubra octodecim ex alterutra parte novena: teſtudo verò quæ maxima eſt, incumbit quatuor pilis, aut paraſtatis, aut columnis, ex ipſo eodem nativo marmore formatis, & in maximæ longitudinis Baſilicæ ſeriem rectà diſpoſitis, quas aliæ duæ minores præcedunt: in ultimâ verò cellâ, quæ magnitudine reſpondet primæ, duo item alia ſunt reconditoria, è regione verò objicitur figura januæ, ſed obſtruſæ, quâ forte aditus ulterior dabatur.* Hoc ipſum quod jam deſcripſit *Serlius* ſubterraneum ædificium, veſtibulum tantùm fuiſſe ſepulcri Davidis & Salomonis, non ipſum ſepulcrum, exiſtimat *Villalpandus* in Ezechielem tomo II. parte II. libr. V. diſtinct. 4. capitul. 61. atque per illam, quæ obſtruſa dicitur porta, patuiſſe fortè aditum ad Davidis ſepulcrum interius. *Sed procul dubio*, inquit, *Johannes de Pineda*, Hiſpalenſis, loc. citat. *cum Petrus Actor. II, 29. ait de Patriarcha David*: Quoniam defunctus eſt, & ſepultus: & ſepulchrum ejus apud nos eſt usque in hodiernum diem: *de monumento loquebatur, non quidem abdito & inviſo, ſed quod palàm ab omnibus videri potuiſſet. Niſi fortè dicas loquutum de illo, quod dicebat Joſephus* (libr. XVI. Antiq. cap. XI.) *in aditu alterius interioris & recon-*

& reconditioris monumenti ab Herode, candido marmore & impendiis ſumptuoſiſſimis extructum, & ſepulcrum Davidis dicebatur, ut quod eſſet alterius interioris & verioris ſepulchri teſtis & index. Nam neq; de illo ſubterraneo & penitùs abſtruſo reconditorio Salomonis, ſed alio externo & ſublimi, intelligi poſſe videtur, quod Dio Caſſius in Adriano ſcribit. Cum Judæorum cladem & quæ illam prænunciaverant prodigia commemorat; Nam Salomonis (*inquit*) ſepulchrum, quod illi in ſupremo cultu & reverentia habebant, ſponte & nullo impellente diſcuſſum corruit. *Cum quo illud facit, quod Hieronymus ait, ſcribens* (*Epiſt. 17.*) *ad Marcellam*, ſe ad Davidis Mauſolæum precari ſolitum. Hæc Pineda. Quæ *Benjamin Tudelenſis* Itiner. pag. 45. & 46. Edit. L. Emper. affert *de duobus viris ætate ſuâ oſtium ſpeluncæ reperientibus, tandemq; ad magnum quoddam palatium pervenientibus, columnis marmoreis inædificatum, argento auroque obductum, in cujus conſpectu menſa erat, & ſceptrum aureum, unà cum aureâ coronâ*, quod ipſe ait fuiſſe *ſepulchrum Davidis, ad cujus ſiniſtram aliud Salomonis, ſimiliterq; omnium regum è ſtirpe Judaicâ* &c. hæc fabulam ſpirant Judaicam. Inter Bethlehem & Hieroſolymam conſpicitur Sepulchrum Rachelis, uxoris Jacobi Patriarchæ, de quo iterum ita diſſerit in ſuo Itinerario *Benjamin Tudel*, ut latinè loqui eum fecit Arias Montanus: *Bethlehem Judæ, cui dimidii ferè miliaris ſpatio Rachelis ſepulchrum proximum eſt in bivio: eſtq; tumulus conſtructus lapidibus duodecim, juxta numerum filiorum Jacob, ſuprag; tumulum eſt teſtudo quatuor columnis innixa. Porrò tumuli lapides Judæorum illuc prætereuntium nominibus multis & variis inciſi ſunt*, Geneſios XXXV, 20. dicitur; *Erexitq; Jacob titulum*, h. e. ut explicat *Brocardus Monachus*, terræ ſanctæ luſtrator, part. 1. c. 7. §. 56. pyramidem pulchram valdè, in typum monumenti ipſius Rachelis, in cujus baſi duodecim diſpoſuit lapides grandes, juxta numerum filiorum ipſius Jacob. Enim verò, adeo artificioſum ac grande fuiſſe opus, quod Jacob extruxit ipſe, non facilè crediderim. Neque enim exiguo illo tempore, quo ibi permanſiſſe putatur, excelſum aliquod, aut valdè politum extruere ædificium potuiſſe videtur; ſi verò illud poſterioribus temporibus magnificum viſum eſt, fortè ab aliquo de Jacobi poſteris idipſum inſtauratum & auguſtius extructum eſt. Ex recentiſſimis monumentum Rachelis ita deſcribit *Quareſmius*

simius l. 6. peregr. I. cap. XI. quòd sit *sepulcrum magnum capellâ inclusum. Et licet sacellum fuerit aliquando collapsum & demolitum, fuit continuò restauratum &c.* Uxoris Lothi, quæ non sine magno secreto anonyma in Scripturis reperitur, prodigiosum sepulchrum (liceat ita appellare στήλην ἁλός, ut vertunt LXX. i. e. *statuam salis*, in quam versa est Uxor Lothi, ob transgressum mandatum divinum Gen. XIX, 26. ut perpetuum *monumentum exstaret incredulæ animæ*, ut loquitur autor *Sap. X, 7.* essetque Exemplum & condimentum, ut ajunt Veteres, unde salirentur alii & ad sapientiam veram proficerent, admonente ipso Servatore, ut memores simus uxoris Lothi Luc. XVII, 32.) etiamnùm extare perhibetur ab iis, qui in illis regionibus peregrinati sunt. Sic enim *Adrichomius* in Theatro Terræ sanctæ in Tribu Judæ pag. 55. num. 230. *Statua salis, in quam uxor Loth respiciens est conversa, incredibilis animæ stans memoria. Testatur Josephus se suo adhuc tempore statuam hanc vidisse, qvin & hactenus manet, & extat, si Brocardo* (itiner. 6.) *si Breidenbachio* (ib.) *si Saligniaco,* (tom. 9. cap. 6.) *oculatis testibus credendum est, qui positam dicunt inter Engaldi, & mare mortuum.* Supra citatus *Benjamin Tudelensis* loc. alleg. *inquit: A mari* (Sodomitico) *ad cumulum Salis, in quem Lothi uxor conversa est, duæ leucæ sunt. Constat enim adhuc cumulus ille, qui à gregibus aliquando lambendo imminutus, denuò ad pristinam crescit molem.* Refert quoque *Liranus*, statuam hanc non minui, quantumcunque animalibus eam lambentibus. Sed *fabula videtur*, inquit *Estius* in h. l. Elegans hac de re exstat Epigramma *Joh. Lauterbachii.*

Quod spectas oculis viator, hoc est
Sepulcrum, nec habet suam cadaver;
Quod spectas oculis viator, hoc
est
Cadaver, nec habet suum sepulcrum.
Sepulcrum tamen est, & est cadaver.
Qui possit fieri, rogas; habeto:
Conjunx facta Lothi salis columna.

De *Mosis*, Prophetæ magni, Deique nuncii, ac Legislatoris illustrissimi sepulchro, quod Deus ipse illi fecerat, nihil habeo, quod dicam, nulli enim humano oculo id unquam patuit, *Deuter.* XXXIV, 6. (Ex *2. Maccabæor. II, 5.* nugantur aliqui, à Jeremiâ inventum esse ejus sepulchrum, idque confirmant autoritate *Dorothei* & *Epiphanii*, ait

ait *Pelargus* Comm. in Deuter. cap. ult. p. 460.) Rectè *Joh. Marullus* de sepultura Mosis à Deo populo Hebræo abscondita; *Mosi sepulchrum*, inquit, *ignoratur, sed vitæ illius integritas atq; sanctitudo, nullus unquam oculis oblitterabitur: quisquis illi similis esse curaverit, profectò non quærat, quo loco sepultus jaceat, sed ubi in sempiternum vivat.* Aft quare Mosis sepulcrum ab omnium oculis remotum, cujus adhuc viventis omnium oculis patebat domicilium? Duplicem rationem reddit D. *Augustinus lib. I. de mirabilibus Scripturæ cap. 35.* inquiens; *Duabus de causis, ut sapientes aiunt, mortis ejus & sepulchri nemo erat conscius: quatenus istam faciem, quæ consortio sermonis Domini rutilaverat, mortis mœrore repressam nullus videret; & ne sepulchrum ejus populus Israël, si cognovisset, ubi esset, adoraret: unde & virgam, in qua signa fecerat, ut plurimi putant, ne adoraretur, secum abstulerat, quoniam & serpentem, quem fecerat, filii Israel postmodum adorabant.* Lutherus etsi non improbat eorum opinionem, qui propter Judæos ignotum volunt sepulchrum, ne idolum facerent: addit tamen, *magis significari, veniente luce Evangelii ministerium legis sic tolli, ut Judæi neq; invenire, neq; reparare unquam possint.* Monumentum, quod *Simon Maccabæus*, Parentibus ac fratribus vitâ functis ubique ipsis in patriâ suâ urbe *Modin* extruxit, describitur I. Maccab. cap XIII, 27. 28. *Et ædificavit Simon super sepulcrum patris sui & fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito* λιθῷ λευκῷ καὶ ἀναξεγμένῳ, *Josephus*, Candido & polito marmore, Ejus interpres *Gelenius, retrò & ante. Et statuit septem pyramidas, unam contra unam* (i. e. singulas singulis adversas, vel alteram è regione alterius) *patri & matri & quatuor fratribus. Et his circumposuit columnas magnas: & super columnas arma, ad memoriam æternam: & juxta arma naves sculptas,* (cum regiæ Majestatis insignibus naves conjunxit, quæ humanæ vitæ fugacitatem portendebant,) *quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare.* Hujus sepulcri pulcra apud jam dictum *Josephum* historiæ scriptorem diligentissimum, *lib. III antiq. Judaic. cap. XI.* descriptio est, ubi inter cætera ait, fuisse illud è *lapide albo & polito*, uti dictum, habuisse porticus circumcirca & σύλας μονολίθους, *columnas, quæ singulæ uno tantum lapide constarent.* Septem etiam pyramidas, *quæ*, inquit, *ad hoc usq; tempus servantur*, appellat ibidem μνημεῖον μέγιστον θαυ-

μαςόν τε ἰδεῖν, &c. Et multò post eum S. *Hieronymus* libro de locis Hebraicis : *Modin vicus juxta Dioſpolin, unde fuerunt Machabæi, quorum hodieq; ibidem ſepulchra monſtrantur.* De Porſenæ Regis Hetruriæ, in Urbe Cluſio, monumento (in cujus baſi quadrata Labyrinthus fuit inextricabilis) videatur *Plinius* lib. XXXVI. cap. 13. Auguſti Cæſaris, principum omnium optimi, maximi, ac Patris patriæ ob clementiam dicti, Mauſoleum (ſic enim ex admiratione monumenti Mauſoli, quo de paulò poſt, ſepulcra magnifico illuſtria impendio Romani appellare conſveverunt,) quod ipſe vivus ſibi ſexto ſuo conſulatu extruxerat, teſte *Svetonio* in vita ejus, ἀυτόπτης *Georgius Fabricius* in libello de Roma cap. XX. his verbis deſcribit. *In Mauſoleo,* (Auguſti Cæſaris) *quod exemplo Cariæ Regis extructum eſt, in valle Martia, inter viam Flaminiam & ripam Tiberis, poſt ædem S. Rochi, Moles rotunda ex immenſis aggeribus, marmore olim Lunenſi inſtructa, cum circumjectis ſilvis, & amplis ambulationibus. Ad latera poſiti erant bini obeliſci, quorum unus in via projectus fractusq; jacet. Habuit plura oſtia, & loculorum ſeriem intra aggerem, quorum adhuc apparent veſtigia. Ante molem res geſtæ Auguſti, quod ipſe teſtamento mandaverat, tabulis æneis inciſæ erant. A tergo lucus fuit cum porticu. Interior murus reticulato opere variatus, & in mediâ areâ Auguſti tumulus ex niveo marmore ferreis cancellis incluſus : in cujus ſummo ſimulacrum ipſius æneum. Inter tumulum & murum interiorem conſita populi. Ut autem Auguſti ſepulcrum in medio ſtetit, ita loculi cognatorum & amicorum, cum quibus communem eſſe illam ſepulturam voluit, à lateribus in muro effoſſi erant.* Hadriani Imper. monumentum, quod juxta Tiberim ſibi fieri curaverat, ad lapidis jactum à mœnibus abfuiſſe, tradit *Procopius* de bello Gothico, hodiè muris incluſum præſidium præbet Romano Pontifici ac vulgò *Caſtellum S. Angeli* appellatur. *In mole ad Tiberim,* inquit ſæpe laudatus Georgius Fabricius loc. citat. *duos habuit ambitus* (ſepulcrum Hadriani) *& duplicem columnarum ordinem. Primus ambitus quadratus ex ſolidis lapidibus fuit, interior moles oblonga & prælta ex Pario marmore. Ex hoc duplici ambitu arx nunc eſt extructa quæ Caſtrũ S. Angeli vocatur. Columnæ, quæ circumpoſita fuerunt ad S. Petri Baſilicam ornandam, translatæ ſunt, & earum loco ad arcis munitionem alius murus circumdatus,*

datus. Severi Imperatoris Monumentum in hunc modum deſcribit : *Supra Septizonium, inter Palatium & Celium* (ſepulcrum Severi.) *De ſeptenâ columnarum ſerie, ex qua aſſurgebat, tres ſeries adhuc reliquæ, una alteri ſuperimpoſita. Integra ſeries illa eſt, qua Eurum ſpectat, in cujus prima ſecundaq; parte ſuperſunt columnæ octo, in tertia ſex. Intra illas columnas moles ex quadratis lapidibus aſſurgit, quæ in altum pyramidis aut obeliſci more, magis magisq; contrahitur atq; acuitur. Opus ſanè mirum & magnificum.* Ita ipſe. Plura alia Romæ magnificè extructa ſepulcra ex Romanis adduci poſſent antiquitatibus, verùm cum pleraque ſint diruta ac temporis proceſſu obſoleta reddita, (*ſenium enim etiam ſaxis,* ut cum Poëta loquar, *marmoribusq; vel tandem venit,* & his quoque ſua ſunt funera) hæc è multis retuliſſe ſatis ſit Mauſoli terræ Cariæ Regis ſepulcrum memoratiſſimum, dignatumque numerari inter ſeptem omnium terrarum ſpectacula, ſumptibus plusquàm regalibus Halicarnaſſi extrui juſſit Artemiſia, ejus uxor, ultrà affectionis humanæ fidem viri amans, ut loquitur *Gellius* libr. X. cap. XIIX. Patere id ait *Plinius* N. H. Libro XXXVI. cap. V. ab Auſtro & Septentrione ſexagenos ternos pedes. Brevius à frontibus, toto circuitu pedes quadringentos undecim, attolli in altitudinem XXV. cubitis, cingi columnis XXXVI. Subjungit, Artemiſiam Reginam, quæ conſervandæ mariti memoriæ causâ id opus extrui juſſerat, opere nondum abſoluto obiiſſe; Sculptores tamen inde non receſſiſſe niſi opere jam perfecto, id gloriæ ipſorum artisque perpetuum monumentum judicantes. In Ægypto juxta Memphim Regiam quondam poſt Thebas urbem barbara Pyramidum erant miracula, Regum ſepulcra. Eſt autem Pyramis, moles quadrata, quæ flammæ inſtar è lato ad ſublimitatem acuminando gracileſcit; à quâ figurâ nomen traxiſſe judicat *Georgius Fabricius* loc. alleg. Pyramidas haſce Ægyptiacas, (*quæ Romam translatæ, etiamnum intuentibus ſunt ſtupori,* inquit *Cornel. à Lapide* in cap. XXII. v. 19.) *regum pecuniæ otioſam ac ſtultam oſtentationem* vocat *Plinius* libr. XXXVI. cap. 12. *Strabo* Geogr. libr. XVII. βαρβαρικὴν ματαιοπονίαν, *barbaricum, inanem, vanumq; laborem.* Refert *Petr. Bertius,* in deſcriptione Ægypti, *in ſumma Pyramide planitiem eſſe capacem hominum L. in quâ conſiſtens peritiſſimus, robuſtiſſimusq; aliquis ſagittarius, telum*

nunquam ita emittet, ut extra basin pyramidis cadat, ex quo, inquit, *quanta hujus operis vastitas sit, cogitari potest.* Sed *vesana dementia est*, judice *Plinio* lib. cit. cap. 13. *quæsiisse gloriam impendio nulli profuturo.* Sepulcralium harum pyramidum, Regum Ægyptiorum portentosam magnificentiam describunt præter *Plinium* loc. alleg. *Herodotus* libr. II. *Strabo* libr. dicto. *Diodorus Siculus* lib. II. Idem hic, Græcorum historicorum celeberrimus, Siculus, (quem inter Græcos desiisse nugari, ait *Plinius* in præfat. libb. de histor. natur.) in Bibliotheca sua historicâ, quam vocat, seu Universali totius ferè Orbis habitati historiâ libro I. cap. XLVII. & XLVIII. & XLIX. editionis Laur. Rhodomanni, Osymanduæ Regis Ægyptiaci magnificentissimum sepulcrum prolixè admodum describit, illudque non modò sumptuum magnificentiâ, sed artificum etiam industriâ longè supergressum esse alia sepulcra ait. De tribus verò Pyramidibus, sub quibus Helenæ, optimæ Adiabenorum Reginæ ejusque filiorum, Regum Izatæ & Monobazi sepulcrum fuit, vide *Josephum*, disertissimum ac nobilem Judaicæ gentis Historicum, Antiq. Judaic. lib. XX. cap. II. Eas *Hieronymus* in Epitaphio Paulæ *Mausoleum Helenæ* appellat, tertioque stadio ab urbe Hierosolymitana disitum erat, ut modò laudatus *Josephus* l. c. refert. *Muhammetis* pseudoprophetæ (qui prodiit & sparso detestando dogmate adseclas colligere cœpit seculo post Christum natum septimo, imperante Heraclio) sepulcrum neque cœlum, neque terram tangere à quibusdam perhibetur. Cadaver enim flagitiosi hujus impostoris in arcâ ferreâ conditum vi magnetis in aëre pendere dicunt in Mecha Arabiæ urbe. *Johannes Hugo à Linschoten*, Batavus, qui terras illas adiit Anno cIↃ IↃ LXXXIII. Itinerarii sui cap. IV. p. 8. *Mecca*, inquit, *oppidum, quod in Arabia situm, notum est ex cadavere Machometi, id ibi ferreæ cistæ inclusum, subductum à terra pendet, sub cælo ex Magnete fabrefacto, magnaq; visitantium Turcarum & Maurorum religione celebratur.*

Et sic sublimi gravis hæret in aëre Massa,
Quam nullum vinclum fulcraq; nulla tenent.

Verum *Ludovicus Vartomannus*, Bononiensis & Patricius Romanus, qui Anno recuperatæ gratiæ cIↃ IↃ III. & *Johannes Wildius*, Norimbergensis, qui hoc nostro seculo profectiones ad hæc loca susceperunt, runt, in Hodeporicis suis idipsum planè negant. Illius verba adscribam ex *libro I. cap. XI. Itiner.* ut latina ea fecit Archangelus Madrignanus: *Sed tempus iam appetit, ut eorum refellam opinionem, qui autumant, Mahumetis, viri impurissimi arcam apud Mecham in aëre absq; adminiculo pensilem consistere. Ego longè aliter sentio, adfirmoq; ea nec vera, neq; verisimilia esse, utpote qui coram hæc perpendi, vidiq; locum, ubi humatus est Mahumetes in memoratâ urbe Medina Talnabi: moram enim inibi tridui fecimus, ut in horum omnium certissimam deveniremus notitiam.* Hieronymus Welsch. Ducis Würtenbergensis Consiliarius, qui loca hæc adiit An. 1633. itinerarii sui cap. XXVIII. rem ita narrat. Medina Thalnabi / eine Stadt auch wie Mecha / in Reich oder glückseligen Arabien liegend / unter einen Seriph / so mit dem Bascha zu Cairo in guter Verständnüß lebt / ist sechs oder 7. Tagreis von Mecha / liegt in einem auch ziemlich ohnfruchtbaren Ort / hat eine Ring-Mauer / mitten darinnen stehet der

WBP Opole

große Tempel / so oben offen / wo der Mahomet begraben liegen solle / umb das Grab ist ein eisernes vergultes Gitter; dasselbe aber hängt nicht auß Krafft des Magnets in der Lufft (wie etliche vorgeben) sondern stehet auff etwas erhöhten Säulen / &c. Wildii verba legi possunt in Itinerar. ejus cap. XXV. Vacuum tamen & ementitum Meccæ haberi Mahumetis sepulcrum ex verbis *Kornmanni* de Miraculis Mortuorum parte IV. cap. CXXI. colligere est, quæ subjicio; *Mahumetes*, inquit, *Turcicæ sectæ primarius, Medinæ Talnabi in Arabia Petræa sepultus est.* Cosmogr. libr. 5. cap. 44. *Et sunt eò frequentes peregrinationes, Dicitur & aliàs Mechæ ψεύδημον, vacuum & ementitum sepulcrum habere, quod anno Christi 1470. fulmine tactum est, ad quod etiamnum hodie Hagsilar, & peregrinatores Turcici frequentes confluunt.* Michaël Bapst in Chronicis Turcicis p. B. 5. De Sinensium speciosis & magnificis mausoleis videantur Sinæ & Europæ admiranda ante paucos annos ab Anonymo edita pag. 237. seqq.

CAPUT XII.

De Sepulcrorum Religione.

QUantâ religione ergà defunctos suos, eorumque tumulos seu conditoria Gens quælibet per Orbem humanum ducta

fuerit, quæ modò Diogenianâ illâ ac plus quàm beluinâ opinione de contemptu ſepulturæ non effaſcinata fuit, Hiſtoriæ docent non tantùm, ſed & vaſta LL. volumina. *Tholoſanus* libr. *XXXIII.* Syntagm. Juris Univerſ. cap. 23. n. 29. *Sepulcrorum*, inquit, *magna viſa eſt antiquitùs religio, ut de illis non minus, imò magis quàm de habitatione, quamdiu vixerint, ſoliciti fuerint: & caverint, ne ullo modo polluerentur, etiam extraneorum ſepulturâ, ut neq; ex gente ſua ſceleſtos paterentur ſepulcris ſuis condi. Veluti Octavianus Cæſar non paſſus in ſuo Juliam, ſtupris diffamatam, poni, quamvis ei teſtamento legaverit.* Res hæc nota eſt ex *Svetonio* in vitâ Octavii Auguſti & *Dione Caſſio* libr. LVI. *Beſoldus* Conſid. Polit. Vitæ & Mortis lib. III. cap. I. p. 102. *In pari religione*, ait, *fuiſſe corporis ſepulcrum & ſepulcrum animæ corpus. Sanctitatem* ſepulcris adſignat *Cicero* libr. IV. de Republ. apud Nonium & Philip. IX. *Sacra* verò vocat *Catullus. Sacratos morte lapides*, *Quintilianus* declam. X. *Aggeres conſecratos*, Imp Julianus I. pergit audacia. Propriè tamen *Religioſa* dicebantur Sepulcra, Sacra & Sancta ſecundùm ſimilitudinem. Verùm, non totum ſolum vel fundus, in quo monumentum erat exſtructum, religione tenebatur, ſed portio tantùm illa fundi, ubi corpus oſſave hominis aut reliquiæ conditæ erant & aliàs ſepulcrum dicitur, vide *Franzium* Digeſtorum libr. XI. titul. VII. Hinc antiquitùs quantum terræ ſpatium religioni cederet, deſignabant, monumentisque inſcribebant. Loquuntur idipſum his notis ſignati lapides IN. FR. P. X. IN. AGR. P. XX. Hoc volunt: *In fronte pedes decem, in agrum pedes viginti patere.* Notanter dixi, *ubi corpus oſſave hominis condita erant.* Nam antequam corpus, vel principale corporis membrum, caput, (cætera enim corporis membra ſecluſo capite locum religioſum non faciebant, ubi eſt caput conditum, ibi eſt locus religioſus & non ubi ſunt corporum membra, reſpondet *Paulus* in l. cum in diverſ. 44. D. de religioſ. & ſumptibus fun.) eſſet illatum, locus religioſus non cenſebatur, ſed illatione, eâque legitimâ demùm fiebat. Unde Cenotaphium, vacuum inquam Mauſoleum, quod tantùm memoriæ aut honoris causâ erectum, propriè, ut tale eſt, locum religioſum non fuiſſe, vulgare eſt negotium. Illatio autem eo animo fieri debebat, ut corpus non ad tempus aliquod in locum quempiam deponeretur, ſed ut ibidem

ibidem ſepulturæ causâ perpetuò maneret. Temporalis enim ſepultura non facit locum religioſum, juxta jam dictum *Paulum* JCtum, *l. Si quis enim eo animo, 40. D. de Religioſis & ſumpt. Fun.* Violatæ Sepulcrorum religionis ſummum crimen ſtrictumque habebatur. *Sepulcra violari, cineresq; eorum diſſipari ſceleratiſſimum omnium putabant*, inquit *Turnebus* Adverſ. libr. XIV. cap. 21. *Lapidem de Sepulcris movere, terram evertere & ceſpitem evellere, proximum ſacrilegio majores noſtri ſemper habuerunt*, ait Imperator Julianus l. pergit audacia 5. de ſep. viol. Hinc, *Violatio ſepulcrorum & ſepultorum rerumq; quæ horum ſunt, ad crimen ſacrilegii pertinere videtur*, inquit *Tholoſanus* loc. ante citat. n. 1. *Læſæ religionis crimen ſepulcri violati* eſt juxta Imp. Gordianum l. 1. Cod. h. tit. *Summæ immanitatis ac ſceleris, quietem mortuis invidere.* l. nemo III. Cod. de Epiſcop. audient. ubi hæc verborum fulmina; *Nullam accipiat vinculorum requiem, qui quieſcere ſepultos quâdam ſceleris immanitate non ſinit.* Sacra enim defunctorum ſecuritas & templum quietis eſſe debet Sepultura, quam veteres in votis habuerunt dedicando monumenta *Perpetuæ Securitati.* Quod etiam innuit Joſias 2. Reg. XXIII, 18. *Dimittite eum quieſcere, nemo commoveat oſſa ejus.* Caſſiodorus l. VI. Var. Epiſt. IIX. ſic ſcribit. *Defunctorum quin etiam ſacram quietem æquabilia jura tua conſcientiæ commiſerunt: ne quis veſtita mormoribus ſepulcra nudaret: ne quis columnarum decorem irreligioſa temeritate præſumeret: ne quis cineres alienos aut longinquitate temporis, aut voraci flammâ conſumptos, ſceleratâ perſcrutatione detegeret: ne corpus, quod ſemel reliquerat moleſtias mundanas, humanas iterum pateretur inſidias. Nam etſi cadavera furta non ſentiunt, ab omni tamẽ pietate alienum eſſe dignoſcitur, qui aliquid mortuis abrogaſſe monſtratur. Vide quæ tibi commiſſa ſunt, caſtitas viventium, & ſecuritas mortuorum.* Loco hoc Caſſiodori adductus, ſimul ad *violationis ſepulcrorum modos* tranſeo. Erant autem illi varii, inprimis religio ſepulcri antiquitùs violabatur *illegitimâ cadaveris illatione*, quando ſcil. qui jus inferendi non habebat, contrà vel præter voluntatem Domini mortuum inferebat. *Doloſâ inhabitatione*, ſi quis in ſepulcro dolo malo habitaverit, ædificiumque, aliudve, quàm quod ſepulcri causâ factum ſit, habuerit. L. III. D. de ſepul. viol. *Monumenti demolitione.* Si quis ſine ſcientia Domini abſtulerit de ſepulcro ſaxa,

ero saxa, columnas, statuas &c. LIV. Cod. D. de Sepul. viol. & Leg. II. D. eodem. *De Sepulchris nihil est apud Solonem amplius*, ait *Cicero* II. de LL. *quàm, ne quis ea deleat, neve alienum inferat: pœnaq; est, si quis bustum, (nam id puto appellari τύμβον) aut monumentum, inquit, aut columnam violarit, dejecerit, fregerit.* Imò lapsa & corrupta monumenta reficere non licebat, nisi Pontificis permissu: & eâ conditione, ne corpora tangerentur. Tantum abest, ut sepulcri conditionem deteriorem facere permitteretur, ut meliorem non liceret, ut ait *Besoldus* loc. alleg. Violabatur etiam Sepulcrorum religio *Illati cadaveris contrectatione*, ut modò celeberrimus quondam in Acad. Tubing. Antecessor insinuabat, item *Mutilatione, Spoliatione.* Etsi enim (verba sunt jam laudati JCTI,) thesaurus, aut pecunia in monumento inventa, religiosa non sit, nihilominùs sepulcrum violatur, cujus lapis movetur, terra sollicitatur, cespes volvitur, pecuniæ sumendæ causâ. *Ossium* denique *translatione illicitâ.* Dixi suprà, Corpus ad tempus loco alicui commendatum, locum istum non facere religiosum, illud ergò aliò transferri licitè poterat. Corpora verò perpetuæ sepulturæ tradita, h. e. eo animo in loco quodam condita, ut ibi perpetuò manerent, non petitâ licentiâ à Principe vel à Pontifice, erui, alioque transportari sine sepulcri violatione non poterant. Vide, præter innumeros alios, *Tholosanum* Syntagm. Juris universi libr. XXXIII. cap. 23. num. 12. 13. Impetratâ tamen à Magistratu veniâ, justâque causâ interveniente, translatio institui poterat. Sic quandoque corpora præstantium virorum in loco ignobiliori condita ad celebriora monumenta, vel ex peregrinâ terra, ubi fatis concesserant, ad avita patriaque sepulcra, magnâ pompâ ac solemnitate solebant portari apud Gentiles. Exemplis idipsum probat *B. Gerhardus*, avunculus meus desideratissimus, tom. VI I. LL. Theol. num. 101. Antiquissima ἀνακομιδὴ fuit Ossium Josephi, Ægyptii Servatoris, ex Ægypto in Palæstinam à Mose facta Exod. XIII, 19. In Ecclesiâ primitivâ Apostolicæ vicinâ nondum receptas fuisse translationes reliquiarum, certum esse, inquit jam dictus *B. Gerhardus* loc. cit. n. 120. Sub Constantino Magno autem transferri cœpisse sanctorum λείψανα ex sepulcris obscurioribus ad monumenta celebriora. Idque Constantinum ex Zelo pietatis non malo fecisse, ait *Chemnitius* Exam. Concilii Trid. de Reliq.

de Reliq. Sanct. parte IV. Scribit *Hieronymus* contra Vigilantium; *Constantinum sanctas reliquias Andreæ* (primogeniti Apostolorum,) *Lucæ & Timothei transtulisse Constantinopolim.* Constantini factum magno studio imitati sunt & alii. Arcadium enim, narrat idem *Hieronymus*, ossa B. Samuelis post tàm longum tempus de Judæâ transtulisse in Thraciam. *Ruffinus* lib. II. cap. XXVIII. describit translationem reliquiarum Johannis Baptistæ, Novi Testamenti prodromi, ex Palæstinâ Alexandriam. Taceo innumera hujus generis exempla alia. Cæterùm hæ μεταθέσεις ὀστέων ἐκ τάφων εἰς τάφον factæ postea sunt superstitionis seminaria, ut latè demonstrat *B. Chemnitius* loco all. aliique nostri Theologi. Sed à lineâ evagor, redeundum est in viam. Hactenus modos aliquot, (neque enim omnes recensere animus est,) quibus sepulcri religio violari potuit, vidimus. Quæ verò Pœna sepulcri violati reis irrogari solita fuerit, cognoscere cupidum Jurisconsulti plenius edocebunt. Unum saltem atque alterum adjicio, ne desiderio hujus rei flagrantem ægrum dimittam. Ex rescripto D. Severi Sepulcri violati pœna est capitalis in eo, qui manu armatâ cadavera spoliavit: in alio autem, qui sine armis id fecit, est pœna metalli *l. 3 §. adversus 7. D. de sep. viol.* Paulus JCtus maximi nominis, lege final. seu XI. D. de sepul. violato: *Rei sepulcrorum violatorum*, inquit, *si corpora ipsa extraxerint, vel ossa eruerint: humilioris quidem fortunæ summo supplicio adficiuntur, honestiores in insulam deportantur; aut aliàs relegantur: aut in metallum damnantur.* Julianus Imp l. pergit audacia 5. de Sepul. viol. *pœnam sacrilegii* statuit in eos, qui lapides sepulcrorum amovent, terram evertunt, cespites evellunt, qui ornamenta quædam è tricliniis vel porticibus eorundem auferunt. Ab Impp. Theodosio & Valent. Leg. 7. Cod. De repudiis, crimen violati sepulcri inter causas relatum est, cur uxor à marito divortium facere posset, si nimirum *sepulcrorum dissolutorem* esse probaverit. Illud non prætereundum, Hostium sepulcra non fuisse religiosa apud Romanos, ideò violari sine piaculo poterant, lapidesque inde sublatos in quemlibet usum convertere, non erat vetitum, *Paulus* JCtus l. 4. D. d. t. Porrò *Græcos* Sepulcris suorum tribuisse aliquam religionem, ipsaque impunè violari non potuisse, vel unicus locus Solonis ex *Cicerone* II. de LL. suprà adductus idipsum demonstrat. Apud

Judæos, quanquam inquinari polluique censebantur, qui ad loculos defunctorum accederent, quippe quibus, ut mortui, sic & illorum reconditoria immunda erant, violare tamen ea, confringere, &c. nefas putabatur. Imò, *Nulla in summâ*, (verba sunt *Tholosani* Syntagm. Juris Universi. libr. XXXIII. cap. 23. n. 29.) *fuit Respublica benè instituta, quæ non improbaverit & aliquâ pœnâ non castigaverit sepulcrorum violatores propter vitia, quæ animos ad scelus hoc committendum alliciunt, quia solent effodi, violari & inverti sepulcra ab impiis potissimùm tres ob causas: vel ut in usus alios rudera & lapides transferantur: vel injuriæ causâ: vel quod vulgarius est, spoliandi mortuos.* A Christianis denique primitivæ Ecclesiæ, loca, ubi defunctorum corpora ac præcipuè sanctorum & Beatorum Martyrum reliquiæ compositæ, religiosa sanctaque fuisse habita, probatione indiget nullâ. Notumq; est, religionem Sepulcris tributam demùm abiisse in aliquibus locis in superstitionem. Eò enim ventum est, ut ipsa sepulcra adorarentur à quibusdam, de quâ superstitione conqueritur S. *Augustinus* de Moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. *XXXIV. Nolite consectari turbas imperitorum, qui in ipsâ verâ religione superstitiosi sunt. Novi multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores*, &c. Imò ipsis Cenotaphiis sanctorum hominum exhibuisse religionem Christianos veteres ex his versibus Prudentii lib. περὶ στεφάνων colligere est:

Hoc colunt cives, velut ipsa membra
Cespes includat suus & paterno
Servet amplectens tumulo beatis
Martyris ossa.

CAPUT XIII.

Quod funerationem subsequi consueta explanat.

Vidimus hactenus exequiales apparatus, longumque funebrium ordinem pomparum, ipsum Sepulturæ locum consideravimus, ac sepulcra ab omni parte inspeximus. Jam quid post sepulturam factum sit, restat delibemus. Neque enim defuncto sepulcro illato, à parentationibus cessatum est, sed *certi* quidam *dies* apud Græcos

Græcos pariter & Romanos destinati erant, quibus *justa mortuis persolverentur*, (justa vocabant Latini suprema officia, quod justè fierent iis, qui de nobis benè merentes mortui fuerant.) Publicè quidem celebrabantur *Feralia*, Diis Manibus sacrata festa, à ferendis epulis, vel à feriendis pecudibus sic dicta, ut *Festus* ἐτυμολογεῖ. Solemnis & status harum publicarum feriarum mensis erat Februarius apud Romanos, *Cic. II. de LL.* dies ejusdem mensis nonusdecimus. Eodem tempore & Græcos in diversis urbibus mortuorum Manibus inferias dedisse, annotat *Casaubonus* libr. Animadvers. in Athenæum cap. XIX. Privatæ verò feriæ, quibus defunctis parentare consueverant, dicebantur *Novemdiales* & *Denicales*. Nono post funerationem die parentalia & sacra funebria concludebantur. Denicalibus feriis familia funere polluta purgabatur certis quibusdam ceremoniis. Parentabatur autem Inferiis, Epulis & Ludis. *Inferiæ* erant sacrificia, quæ Manibus offerebantur. Nomen manavit, vel ab inferis, ut *Servius*, vel ab inferendo, quia sc. mortuorum sepulchris inferri solebant, ut *Turnebus* vult. χοαὶ à Græcis vocabantur à fundendo. Fundebant enim lac, mel, aquam, vinum, sanguinem, unguenta. Vide jam dictum *Turnebum* lib. IV. Advers. cap. XX. Constabant *parentalia hæc Sacrificia liquoribus* præcipuè ac *cæsis Victimis*, victimis, inquam, non ex animantibus tantùm, sed & humanis sæpè. Nam & hoc abominabili, sed spiritibus hominum osoribus grato sacrificio defunctorum, inprimis illustrium Manibus parentare solebant Pagani, ut supra, *cap. VII.* demonstravi. Inferias Manibus dedisse Romanos, testatur *Virgilius* non uno loco, *Tacitus* libr. III. Annal. de funere Germanici, *Cicer.* Orat. pro L. Flac. alii. De Græcis refert id *Theodoretus* De Curatione Græcarum affectionum lib. VIII. qui est de Martyribus p. 541. Edit. Colon. *Quod autem majores vestri*, inquit, *etiam libamina defunctis obtulerint, conscii & vos estis, qui nocte intempestâ præter legum sanctiones, id nunc facere audetis. Sed enim Homerus quoq; testatur. Is enim Ulyssem inducit Laërtæ filium, Circe ita fieri præcipiente, egestâ terrâ, in foveam libamina effudisse. — Narrat præterea, quo pacto animarum turba concursu magno festinarit ad ea libamina percipienda. Quid ego autem vobis nunc pœtæ versus adduco? Aristocles enim Peripateticus Lyconem Pythagoricum*

teſtem citat, Ariſtotelem Nicomachi filium eo ritu mortuæ uxori rem divinam facere ſolitum, qvo Athenienſes Deæ Cereri faciebant. Hæc Theologus vetuſtiſſimus. Inferiarum apud Ethnicos appendix quaſi & corollarium erant *coronæ* ac *flores*, quibus tumulum ſpargebant. Romani liliis purpureisque roſis præprimis, ſæpè & coronis laneis, vel infulis, quas tænias vocabant, (vide *Virgilium* libr. V. & VI. Æneid. *Dioſcorid.* libr. III. Ανθολ. *Varronem* Lib. VI. Lingv. Latin.) Græci Amarantho ac Apio potiſſimum (teſte *Philoſtrato* in Heroicis) ſepulcra conſpergebant. Vide de his plura apud *Kirchmannum* de F. R. Libr. IV. cap. 3. Morem hunc Gentilium floribus, frondibusque ornandi monumenta, antiquiores Chriſtianos non fuiſſe ſecutos, ex *Minutio Felice* in Octavio colligi haud obſcurè poteſt, ubi inter crimina Chriſtianis objecta à Cæcilio refertur; *Coronas etiam ſepulchris denegatis* &c. confer *Juſtinum* Martyr. lib. II. Apolog. Conſvevisſe tamen poſtea ſuper tumbas mortuorum varios flores ſpargere, videre eſt ex *S. Ambroſio* Oratione in obitum Valentiniani Imp. *Non ego*, inquit, *floribus tumulum aſpergam, ſed ſpiritum ejus Chriſti odore perfundam. Spargant alii plenis lilia calathis, nobis lilium eſt Chriſtus: hoc reliquias ejus ſacrabo, hoc ejus gratiam commendabo.* Et ex S. *Hieronymo* ad Pammachium: *Cæteri mariti ſuper tumulos conjugum ſpargunt violas, roſas, lilia, purpureos q; flores & dolorem pectoris his officiis conſolantur.* Succinit *Prudentius*, Chriſti Vates ſvaviſſimus, in hymno Exeq.

Nos tecta fovebimus oſſa,
Titulumq; & frigida ſaxa
Violis & fronde frequenti
Liquido ſpargemus odore.

Non ergò tantùm vagis floribus, ſed & odoribus ſepulcra aſpergebant. Suſpendebantur etiam in cippis Sepulcrorum *lucernæ*. Masgabæ parentalia multis luminibus fuiſſe celebrata, docet *Svetonius* in vita Auguſti. Ex Ægypto Romam migraſſe hunc ritum exiſtimat *Kirchmann. lib.* IV. de Fun. Rom. cap. IV. Ita enim *Herodotus* libr. II. *Cui ſingulis diebus omnifarii odores inferuntur, noctibus perpetuò incenſa lucerna adſtat.* Apud Chriſtianos adeò uſitatum fuit ad defunctorum, inprimis autem Martyrum & ſanctorum tumulos cereos & lampades accendere, ut calumniandi inde Orthodoxos anſam arripuerit Vigilantius. Nam apud *Hieronymum* hæ ejus criminationes exſtant: *Prope ritum gentilium videmus ſub prætexu re-*

textu religionis introductum in Eccleſias, ſole adhuc fulgente moles cereorum accendi. — Magnum honorem præbent hujuſmodi homines beatiſſimis Martyribus, quos putant de viliſſimis cereolis illuſtrandos: quos agnus, qui eſt in medio throni, cum omni fulgore majeſtatis illuſtrat. Reſpondet Pater ſanctiſſimus: ſeſe non clarâ luce cereos accendere, ſed nocte, ut eius tenebras hoc ſolatio temperent & vigilent ad lumen, concedit interim, quasdam fortè fœminas propter imperitiam & ſimplicitatem id facere. Confer *Damaſcenum* Oratione de Fidelibus defunctis, & *Gregorium Turonenſem* lib. de gloriâ Confeſſorum cap. 104. Porrò, ſolemne fuit antiquis, Græcis & Romanis, *cœnas feriales* apparare, ſtatis & anniverſariis ſæpè temporibus. Cùm in honorem ac memoriam defuncti, tum ut per vini, cibique lenimen ejus deſiderium levaretur. Ex epulis hiſce funeralibus quædam inferebantur monumentis, apud Paganos, DIS Manibus ſacra. Guſtare ea, piaculum erat. Putabat autem ſtulta Gentilitas, mortuorum animas, ab inferis reduces iis veſci & delectari. Reprehendit hunc *gentilium infidelitatis errorem*, ut ipſe vocat, S. *Auguſtinus* ſermone XV. de Sanctis: *Miror, cur apud quosdam infideles hodiè tàm pernicioſus error increverit, ut ſuper tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quaſi egreſſæ de corporibus animæ carnales cibos requirant.* Hanc præter *Dæmoniacâ cœnam*, ut *Tertullianus* appellat, in de Spectacul. ſuas habebant Epulas, quas amici ac ſangvine proximi ad Charitatum ſuarum buſta inire ſolebant, *ſibi potiùs, quàm mortuis parentantes*, ut jam laudatus Doctor, quem Magiſtri titulo honorabat *Cyprianus*, de Teſtimonio animæ cap. IV. loquitur. Et fortaſis noſtro ſeculo aliqua ab illis ſive ineptiis, ſive ſuperſtitionibus hæret macula. Et apud Romanos quidem, peractis ad ſepulchrum juſtis, convivia interim domi fuiſſe apparata, ad quæ amici atque cognati convocabantur, ex hiſtoriis accepimus. Cœnæ verò hæ exequiales, quæ quidem privatim inſtituebantur, *Silicernia* audiebant, de cujus vocis etymo prolixè diſſerentem vide *Kirchman.* de Funer. Rom. lib. IV. cap. IV. Hinc ſenes capulares, dicti *ſilicernii*, quaſi pro quibus jamjam morituris cœna funeralis paranda eſſet, unde & paulò preſſiùs ſumit vocabulum Silicernii *Alexander ab Alexandro* lib. III. Gen. dier. cap. 7. pro *cœnâ* vid. *ferali, quæ unis ſenibus, & his, qui multùm ætate*

processissent, exhibita. Varro, lingvæ Romanæ peritissimus: *Funus executi, lautè ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus, i. e. convivium, in quo pransi discedentes dicimus alius alii, Vale.* Interdum & publicè defuncti heredes, ditiores puta & copiosiores, solebant populum Romanum Convivio excipere, ut in funere Africani Q. Maximus, teste *Cicerone* pro Murænâ. In funere Syllæ Faustus, teste *Dione* libr. XXXVII. In memoriam filiæ C. Julius Cæsar, teste *Svetonio* cap. XXVI. Solebat etiam cruda caro populo distribui, quæ *visceratio* dicebatur. *Livius* id docet non semel. Inprimis libr. XL. & XLI. itemque *Blondus* libro II. Rom. triumph. narrat, Publii Licinii causâ, visceratione datâ, gladiatores centum viginti pugnasse, ludos funebres per triduum factos & post ludos demùm epulum datum, quo cùm toto foro strata triclinia essent, tempestatem cum multis procellis coortam coegisse, ut in foro tabernacula constituerent, Græci quoq; sepulcrales epulas dabant, quas περίδειπνα appellabant & ἐπιτάφια δεῖπνα, Homerus vel τάφος simpliciter vel ἐπιδοχμίους τάφους nominat, Iliad. Φ & ψ. ut cap. IX. diximus. Ast partim ante tumulationem & quidem prope monumentum, partim domi post sepulturam talia agitabant convivia. Confirmat idipsum jam dictus *Homerus* Iliad. ω. & *Lucianus* in fine libri de luctu. *Triduo post* (verba sunt *Alexandri Sardi* Ferrariensis de Moribus & Ritibus Gentium libr. I. capit. XXVI.) *Græci ipsi apparant cœnam necessariis, qui coronati lugentes adhortantur, ut cibum capiant, quod cunctanter ipsi quidem faciunt, ne post charissimorum mortem vitam exoptare videantur, quare & sæpius cibum recusat Achilles apud Homerum interfecto Patroclo.* Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib. III. cap. VII. *Athenis*, inquit, *per funeri præfectos epulum apud defuncti maximè necessarium dari consuevit.* De Argivis verò ait; *Argivorum institutum fuit, ut defuncti affines statim ab excessu Apollini sacrificent & trigesimo post die Mercurio, Apollinisq; sacerdoti hordeum dent, ignemq; extingvant, & rursus accendant, carnesq; victimarum percoquant, quibus postea vescuntur.* Scythas etiam post funus amicos excipientes epulum præbuisse cadaver comitantibus, idem ibidem refert. *P. Bertius* commemorat, permultos in Livoniâ (remotiora ab orbe culto loca occupantes) gentilium ritu vivere, mortuum aliquem terræ mandatu-

ros genialiter circa corpus epulari, defunctumque invitare ad bibendum, postea monumento mortui cibum, potum ac nummulos aliquot securimque imponere, his verbis additis; *Abi in alium orbem Teutonibus imperaturus, uti tibi tuisq; in hoc orbe imperarunt.* Funeralia hujusmodi convivia apud Judæos quoque usitata fuisse, colligi potest ex 2. Sam. III, 35. ubi *ad Davidem*, Abnero solenniter modò composito, *venit populus universus ut comederet panem cum Davide.* Ad quem locum annotat *Sanctius* Jesuita num. 38. *Deinde colligo*, inquit, *in parentali alicujus honore publicum populis exhiberi convivium, quod usq; adeò solenne fuit Hebræis, ut Josepho teste, qui id sæpè in suâ Gente vidimt, id omittere probro fuerit, & impium haberetur.* Sic autem Josephus lib. 2. *de bello cap. I. ubi sic de Archelao:* Diebus septem in lugendo patre consumptis, epulisque feralibus prolixè populo exhibitis (hic autem mos apud Judæos cibandi tantam multitudinem, necessariò multos ad inopiam redegit; nam qui eum neglexerat, impius æstimabatur) candidâ veste indutus procedit ad templum. Sed diversa planè est ratio convivii feralis Davidici; ibi n. lugentem cibare voluit Davidem populus, Archelaus verò ipsummet populum post funebrem Herodis pompam, convivio excepit, more Romanorum, apud quos quandoque publicè defuncti heredes ditiores scil. populo exhibere solebant ferales epulas, ut supra vidimus, quæ consvetudo tunc in populo Judaïco quoque increbuerat. Insinuat & *Baruch* Propheta *cap. VI, 31. Rugiebant* (sacrificuli,) *in conspectu deorum suorum, sicut quidam ἐν περιδείπνῳ νεκρῶν, in epulo ferali Tobiæ IV, 18.* præcipit Tobias Senior filio suo ἔκχεον τοὺς ἄρτους σου, *effunde panes tuos ἐπὶ τὸν τάφον τῶν δικαίων, super sepulturam justorum*, h. e. in honorem justi defuncti & jam funerati pauperes ciba, *Jerem. XVI, 5.* interdicit Deus Prophetæ; *Ne ingrediaris domum epuli feralis* (in Hebræo enim est מַרְזֵחַ, quæ vox significat *convivium funebre*, in exequiis mortuorum ad consolandum propinquos mortui parari solitum, notante Corn. à Lapid. ad h. l.) *nec abeas ad plangendum, neq; condoleas eis*, v. 7. *Et non frangent eis panem* (putà feralem,) *super luctum, ad consolandum eos super mortuo, nec bibendum iis præbebunt calicem consolationum super Patre suo & matre* v. 8. *Et domum convivii* (funeralis) *non ingrediaris, ut sedeas cum iis ad comedendum & bibendum.*

bendum. Ad quæ verba *Hieronymus* in Commentariis : *Lugentibus cibos ferunt, conviviaq; præparant, quæ Græci περίδειπνα vocant, & à nostris vulgò appellantur parentalia, eò quòd parentibus justa celebrentur.* Innuit hîc venerandus Ecclesiæ Doctor alium Judæorum ritum, lugentes vid. apud eos non comedisse proprium panem. Tradunt enim Hebræorum Magistri moris Judaici fuisse, ut propinquis demortui ac tumulati hominis convivium appararent vicini & amici, mittentes eis edulia, cùm quòd ipsis non vacaret à luctu epulas parare, tùm ut hâc ratione mœrentes ad vescendum & ad deponendum luctum invitarent. Prima saltem die lugenti interdictum est comedere de suo, *teneturq; insidere lecto inverso, diebus autem luctus subsequis permissum ipsi, edere de suo & insidere matte,* seu storeæ *aut pavimento &c.* inquit *Maimonides* H. Efel. sub finem cap. IV. *Buxtorfius* Synag. Judaic. c. 35. *Primâ,* inquit, *vesperâ, qui luget, cibo suo non vescitur, sed amici accedunt, cibum suum secum afferentes. Ova illi edenda præcipuè mittuntur consolationis ergò, &c.* Similem morem *Ambrosius Leo* III. de Nolâ urbe Italiæ cap. II. Nolanis tribuit, quem tradit his verbis ; *Postquam à funere editi-*

misq; dimissi sunt filii affinesque defuncti, domum se conferunt, solâ amicorum turbâ comitante, ubi offendunt mensas opiparè paratas. Vicini enim amicique ac affines varias optimasq; dapes eò præmiserant. Discumbitur à cunctis, fiunt colloquia nihil ad defunctum attinentia, sed ea, quæ tristes animos mitigent ac levent. Transeo ad Christianos. Mos enim iste gentilium deferendi ad sepulcra defunctorum dapes, etiam in Ecclesiam inter Gentes collectam irrepsit, & cum illo pernitiosa temulentiæ pestis. Eò namque intemperantiæ demùm ventum est, ut plerique ad sepulcra luxuriosè epularentur, seque ipsos vino quasi sepelirent. Ut S. *Augustinus* conqueritur lib. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. XXXIV. *Novi,* inquit, *multos esse sepulcrorum & picturarum adoratores. Novi multos esse, qui luxoriosissimè super mortuos bibant ; & epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, & vomicitates ebrietatesq; suas deputent religioni.* Confer eundem Sanctissimum Hipponensem Antistitem Epist. LXIV. ad Aurelium, & libro XX. contra Faustum, quibus in locis vehementissimè in hunc morem vel potiùs morum labem invehitur, cùm in Africâ contagio ista præcipuè invaluisset.

luisset. Nec tacuit *Gaudentius,* Episcopus Brixiensis, sermone IV. *Gulæ suæ causâ, primùm cœperunt homines prandia mortuis præparare ; quæ ipsi comederent : post hoc etiam sacrificia ausi sunt ea sacrilega celebrare. Quamvis, nec ipsi mortuis suis minus sacrificent parentalia, dum super sepulchrorum mensas tremulis ebrietate manibus vina fundentes, spiritum balbutiunt.* vide & S. *Ambrosium* Mediolanensem præsulem lib. 2. de Helia & jejunio. Funebria autem hujusmodi convivia præberi consveverant vel in ædibus privatis, vel etiam publicè in ipsis Ecclesiis & cœmeteriis ad charorum tumulos. Quin & anniversarias Martyrum festivitates conviviis celebrabant partim domi, intra privatos parietes, partim quoque in ipsis Martyrum Basilicis. vide *Theodoretum* libr. VIII. ad Græcos sub finem, S. *Gregorium* Epist. lib. IX. Epist. 71. ad Mellitum Abbatem. *Chrysostomum* Homil. in S. Julianum. Postea, cum desiderarent maximè S. Ecclesiæ Dd. ab Ethnicorum stultitiâ & superstitione Christianos longiùs recedere, annisu & studio eorum, quorum intererat, consvetudo ista epulandi, sive in Dominicis, sive in cœmeteriis, sive quomodocunq; ad defunctorum sepulcra tandem penitùs sublata & ex Ecclesiâ explosa est, ita ut posteris temporibus usus ejus nullus fuerit. Cautum etiam est in Conciliis, ne ulli in Ecclesiis accubitus & convivia instituerentur. In Synodo Laodicenâ, canone XXVIII. *Non oportet in Basilicis seu Ecclesiis, agapen* (sic enim dicebantur hæc & similia convivia, & maximè, quæ in pauperum subsidium apparabantur. Ipseque *Judas* in Epistolâ suâ v. 12. agapæ vocem pro prandio vel cœnâ usurpat ;) *facere, neq; in domo DEI manducare, vel accubitus sternere.* Similia statuit Concil. Carthaginense III. cap. 50. & Canon Trullianus LXXIV. *Alicubi hoc ita reformatum est* (verba sunt B. *Chemnitii* Exam. Concil. Trident. de Purgatorio) *ut in memoriam defunctorum, amici cibos & alia donaria in usum pauperum & Clericorum conferrent, sicut colligitur ex Origene libro III. in Job, & qui conferebant, vocabantur* Sportulantes. *Cyprianus libr. I. Epistol. 9. Postea tales Sportularum collationes fieri cœperunt, quando celebrabatur Eucharistia, vocabantur Oblationes.* Loco viscerationis Gentilibus usitatæ Christiani stipe seu eleemosynâ post curatum funus pauperes donabant. Morem hunc in Occidentalibus Ecclesiis viguisse, refert *Hieronymus* ad Pammachium. De Orienta-

rientalibus idipsum affirmat *Chrysostomus* hom. XXXII. in Matth. Defunctorum etiam ad altare Domini in tremendis mysteriis commemoratio & commendatio institui cœpit, ut ex *Origine*, *Cypriano*, *Chrysostomo*, *Augustino*, aliisque constat. Sed hujus rei in S. *Canonica Scriptura* utriusque Fœderis nec vola est, nec vestigium, h. e. *nulla litera, nulla syllaba, nulla dictio, nulla oratio exstat, continens vel doctrinam vel mandatum vel promissionem vel exemplum de oratione pro mortuis*, ut loquitur *B. Chemnitius* loc. alleg. Erant ergò Oblationes & Orationes pro defunctis *incerta traditionis consvetudo*, qvam post Apostolorum tempora humana illa erga mortuos affectio sensim cœpit in Ecclesiam invehere, & tandem superstitiosa observatio roborare. Quod non diffitetur *Tertullianus*, quando Oblationes pro defunctis *non ex scripturâ, sed ex consvetudine fluxisse*, dicit in De coronâ militis. Et *Epiphanius* itemque *Augustinus*, referente *Chemnitio* loc. cit. dicunt, consvetudinem orandi pro defunctis *non esse præceptum patris, hoc est Dei, sed institutum matris, hoc est, Ecclesiæ & traditionem Patrum.* Commemorationi autem recens mortuorum alii destinabant tertium, nonum, & quadragesimum de mab obitu, alii tertium & trigesimum, alii diem septimum & quadragesimum, ac denique anno vertente eorum memoriam celebrabant. Vide de his curiosè tractantem *Gretserum* de Fun. Christ. libr. III. cap. I. Revertor ad Gentiles, & primò Romanos, qui Funeribus etiam *Gladiatores* adhibebant. Ipsiusque muneris gladiatorii causa fuit & origo funus. Sic enim *Tertullian.* de Spectaculis cap. de munere: *Olim, quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captivos vel malo ingenio servos mercati, in exequiis immolabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaq; quos paraverant, armis, quibus tunc & qualiter potenant, eruditos, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant. Hæc muneris origo.* Et cum eo *J. Lipsius* Saturnalium Sermonum libr. I c. VIII. *Origo gladiatorum à re funebri.* Et postea; *Causa tamen & origo funus. Servius* lib. 10. Æneid. *Moris erat*, inquit, *in sepulchris virorum fortium captivos necari: quod postea quam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulcra dimicare, qui à Busti cineribus Bustuarii dicti.* Ipsi Gladiatores morti sese ob lucrum prostituentes dominis se venundabant, unde *homines ad gladium comparare* dicebantur, qui tales emebant. *Lactantius* libr. VI. cap. XII. *Unde bestias emis; hinc captivos redime, unde feras pascis, hinc pauperes ale, unde homines ad gladium comparas, hinc innocentes mortuos sepeli.* Munus autem Gladiatorium primùm Romæ datum est, in foro Boario Ap. Claudio & M. Fulvio Coss. anno ab V. Cond. CCCCXC. à M. & D. Junio Brutis, in defuncti Patris memoriam, teste *Valerio Maximo* lib. II. cap. IV. Anno Urbis DLXXX. paria gladiatorum bustuariorum triginta septem dedisse T. Flamminium in funere Patris, idque ante cætera insigne fuisse munus, refert *Livius* libr. XLI. His ludis Gladiatoriis (ita enim vocabant cruentos illos congressus. Quo de *Lactantius* lib. VI. cap. XX. *Adeò longè ab hominibus secessit humanitas, ut, cum animas hominum interficiant,* LUDERE *se opinentur,*) matronis interesse non erat licitum. *Eos quidem ludos*, inquit *Alexander ab Alex.* libr. III. cap. VII. *apparatu magnifico continuis IX. diebus, in hisque gladiatorum paria, qui venalem sanguinem habebant, Romani exhibuêre: ad quos intromitti matronas nefas habitum. Idque adeò usu & moribus interdictum fuit, ut P. Sempronius uxori, quod ludis funebribus interfuisset, repudium dederit.* Primis quidem temporibus in Imperatorum & Primorum duntaxat funeribus præberi solebant Gladiatorum spectacula. Hæcque per triduum aut quatriduum durabant, ut ex *Livii* Libr. XXIII. XXXI. XXXIX. aliisque constat (ut ita falli videatur *Alexander ab Alexandro*, qui novem continuos dies ludos ejusmodi exhibitos fuisse modò dicebat;) sequenti verò ævo etiam à privatis hominibus dari cœperunt gladiatores, quod *Lipsii* potius verbis docebo; sic enim ille loco supra alleg. *Hæc certamina primò in honorem Imperatorum procerumq;. Sed paulatim, ut solet, res increbuit; & à tenui canali in mare quoddam (fas sic loqui) excrevit editionum. Dare enim cœperunt vulgò etiam privati & plerisq; eâ curâ in testamentis. Cavebant*, inquam, *post mortem suam tot & tot paria sibi edi. Imò vulgò*, addit, *eò mos invaluit, ut ditiori aliquo mortuo, populus munus efflagitaret, velut debitum & ex præscripto legis.* Nec viris hic honor habebatur solum, sed & fœminis. Pergat Lipsius. *Nec verò in virorum saltem funeribus stetit hic mos: transiit etiam ad fœminarum. Dux & autor rei stirps illa Veneris Cæsar Julius: qui munus populo epulumq; in filiæ*

memoriam pronunciavit, quod ante eum nemo, ait Svetonius cap. XXVI. *& confirmat DIO*: Ἐπὶ τῇ θυγατρὶ καὶ θηρίων σφαγὰς καὶ ἀνδρῶν ὁπλομαχίας ἐπέπεμψεν, h. e. Filiæ ſuæ & ferarum cædes & virorum pugnas exhibuit. *Nec dubitate, quin Divi exemplum cupidè imitatus ſit vulgus.* Hæc ita Lipſius, à quo plura ad hanc rem petes, ſi operæ tibi eſt. *Scævola* D. De Annuis leg. L. XX. §. 3. *Lucius Titius teſtamento patriæ ſuæ civitatis Sebaſtenorum centum legavit, uti alternis annis ex uſuris ejusdem certamina ſub nomine ipſius celebrarentur: & Modeſtinus* in L. XVI. D. de uſu & uſufruct. *Legatum civitati relictum eſt, ut ex reditibus quotannis in eâ civitate memoriæ conſervandæ defuncti gratiâ ſpectaculum celebretur.* Sustulit Munus Gladiatorium in funeribus dari conſvetum Conſtantinus Imper. *Cruenta*, inquit, *ſpectacula in otio civili & domeſticâ quiete non placent; quapropter omninò gladiatores eſſe prohibemus.* Libr. XI. Cod. tit. XLIII. De Gladiatoribus penitùs tollendis. Inſtituerunt & Græci certamina Gymnica & ludos in illuſtrium ac magnorum virorum funeribus, ut *Cicero* annotat II. de Leg. & ex *Homero* & *Luciano* notum eſt. Hinc *Alexander ab Alex.* Genial. Dier. lib. III. c. 7. Græcis Gymnica certamina & equeſtria in defuncti memoriam populo dari, ſervatum eſt: Nonnunquam navium curſus, & naumachiam. *Divitum ſepulturæ apud Thraces ſunt hujusmodi*: inquit *Herodotus* lib. IV. *Prolato triduum cadavere, mactatisque omnifariis hoſtiis, convivantur. Illudq; deſletum priùs, deinde combuſtum ſepeliunt, aut aliter humo contegunt, aggeſtoq; deſuper tumulo cùm alia omnis generis certamina proponunt, tùm præcipuè certâ cum ratione monomachiam.* Sed relictis hiſce barbaris ſpectaculis, de *Epitaphiis*, quibus Sepulcra exornare conſvevit priſca gens mortalium, tempus me monet ut agam. *Monumenta ut plurimùm*, inquit *Stephanus Joh. Stephanius* in Notis ad Saxonem Gram. p. 2. *operoſis titulis & ſplendidis inſcriptionibus inſignita erant, quæ rerum à majoribus præclarè geſtarum laudes amplùſimas complectebantur. Hinc tituli vox uſurpata eſt non modò pro nudâ Ἐπιγραφῇ, verùm etiam pro laude, exiſtimatione, encomio, elogio, gloriâ, celebritate, illuſtri famâ, & quicquid nomen alicujus æternitati conſecraret.* Hæc ille. Inſcriptiones & tituli hi Monumentorum maximè frequentes erant apud Romanos, adeò, ut & ſervorum, viliumque capitum

capitum tumulos quandoque titulis inſignirent, quod literati teſtantur lapides. Ponebantur hæ Ἐπιγραφαὶ ſive Epitaphia in primâ & obviâ tumuli parte h. e. in fronte. Unde Virgilius in Culice; *His tumulus ſuper inſeritur, tùm fronte locatur Eulogium.* Concipiebantur interdùm proſâ, haud rarò ligatâ oratione. Erantque ſolemnia inſcriptionum verba: DIS. Man. Sacr. itemque iis res præclarè geſtæ, laudes, familia, ætas, vitæ conditio, dies obitus continebantur, nonnunquam patria, fortunæ, opera, &c. Cujusmodi illud Regis Poëtarum Epitaphium eſt, cujus ipſemet autor perhibetur:

Mantua me genuit, Calabri rapuêre, tenet nunc
Parthenope, cecini paſcua, rura, duces.

Interdùm cauſa, genusque mortis; cape exemplum, Romæ in Xenodoch. S. hoc exſtat Epitaphium;

Hoſpes diſce novum mortis genus, improba felis,
Dum teneo, digitum mordet, & intereo.

Elogia in fronte plerumque, honores & res geſtas, quibus præclarum ſibi nomen pepererant vivi, tumulis inſcribi ſvevisſe, docet *Cicero* II. de Finibus: *Ante molem res geſtæ Auguſti, quod ipſe teſtamento mandavent, tabulis æneis inciſa erant*, inquit *Georgius Fabricius* in delineatione Mauſolei Auguſti Cæſ. cap. XX. Romæ ſuæ. *Plutarchus* in Sylla; *Monumentum Sullæ in campo Martio eſt: Inſcriptionem ab ipſo ferunt conceptam & relictam, cujus hoc caput eſt; ſe neque ab ullo amicorum beneficiis, neque ab ullo inimico maleficiis ſuperatum fuiſſe.* Eleganter in rem præſentem *Pineda* in Jobi cap. III. v. 15. num. 5. *Jubebant*, inquit, *defunctorum Epitaphia conſiſtere pauliſper viatores, audire ſalutaria monita, in memoriam revocare vitam & res geſtas hominis defuncti & denig; de ſe ſimile quippiam cogitare; nam quanquam non omnium monumentorum eadem inſcriptiones eſſent, ſed illa omnibus communis ſemper fuiſſe videtur.* MIHI HERI, TIBI HODIE. Eccleſ. XXXVIII, 23. In hanc ſententiam extat Epitaphium Neapoli ad S. Laurent.

Hoſpes quid ſim, vides, quid fuerim, noſti, futurus ipſe quid ſis, cogita.

Ejusmodi etiam fuit Epigramma, quod M. Pacuvius, Tragœdiarum ſcriptor vivus ſibiipſi conſcripſit, & ſepulchro ſuo incidendum reliquit:

Adoleſcens, tametſi properas, hoc te ſaxum rogat,

Ut se aspicias; deinde, quod scriptum est, legas.
Hîc sunt Poëtæ Marci Paccuvii sita.
Ossa, hoc volebam, nescius ne essēs.
Vale. Item illud;
Fui, ut es, Eris ut sum, Fui, non sum, Estis, non eritis, Nemo immortalis.

Item;
Hoc satis in tumulo fragilem te noveris esse,
Mors certa est, tempus perbreve, vita nihil.

Vide Aul. Gellium Noct. Att. libr. 1. c. 24. Justus Lipsius, quem Literarum seculi nostri lumen *Scaliger* appellat, Senecam Belgicum *Pareus*, Trismegistum, Doctorumque Solem *Rapheliengius*, Senatus eruditorum principem *Dousa*, Scientiarum Patrem *Baudius* &c. è sepulchro cum vivis ita loquitur;

TUMULUS.

Quis hîc sepultus, quæris? ipse edissernm:
Nuper locutus & stilo & linguâ fui,
Nunc alteri licebit. Ego sum
LIPSIUS.
Cui literæ dant nomen & tuus favor.
Sed nomen, ipse abivi, abibit hoc quoque,
Et nil hic Orbis, quod perennet, posfidet.
Vis altiore voce me tecum loqui?
Humana cuncta fumus, umbra, vanitas.
Et scenæ imago, & verbo ut absolvam,
NIHIL.
Extremùm hoc te alloquor,
Æternùm ut gaudeam, tu appreceare.

Unum omnes docti indoctique, opulenti ac pauperes habent Epitaphium, quod illis Moses scripsit; ET MORTUUS EST, Gen. V. *Benè vixisse, pulcherrimum omnium Epitaphium est.* Magna interim & singularis gratia est Epigrammatum eorum, quæ Veteres maximam partem veræ pietatis ignari, ex ipsis animi sui penetralibus eliquata, quisque charissimorum pignorum conditoriis inscripsit, nec sine gemitu & interdùm vel lacrymis ea legere possumus, adeò intimos sensus recordatione communis fragilitatis percellunt, ut inquit *Barthius* libr. V. adverss. cap. XIII. Sed nolo hîc ejusmodi Cipporum ritulis chartam complere, ne & lectori tædium; mihi autem laborem haud necesarium pariam. Apud Græcos etiam Epitaphiorum usum fuisse, supervacaneum puto, ut probem, parciùs tamen iis usi sunt Lacedæmonii. *Epitaphium carmen* (inquit *Ludov. Cœl. Rhodiginus* Lection. Antiq. Lib. XVII.) *quo exprimeretur nomen, indere haut fuit fas* (apud Spartanos) *nî viris in bello esset strenuè perfunctis. Idq; ex Lycurgi instituto.* Danorum etiam antiquiores non tantùm tumulos suorum lapidibus literatis seu Epitaphiis exornasse, sed etiam victoriarum & rerum præclarè gestarum trophæa & arcus quasi triumphales, patriis, hoc est, Runicis literis insignitos, ad posteros transsisse, refert *Olaus Wormius* de Mon. Danic. libr. I. cap. 13. & 14. Exuviis etiam hostium, armisque non Romani solùm, sed & Gothi sepulcra sua ornabant, vide *Plac. Lactantium* ad libr. XII. Thebaid. Statii & jam dictum *Olaum Wormium*, Monum. Danic. lib. I. cap. VI. Apponi etiam solebant ad monumenta Heroum militaria signa, tanquam laudis & virtutis trophæa, inquit *Polydor.* de rerum inventione libr. VI. cap. 10. Innuit hunc ritum etiam *Seneca* libr. IV. Controverss. IV. *Bellum cùm esset in civitate, vir fortis, in acie amissis armis, de sepulcro viri fortis arma sustulit. Fortiter pugnavit & reposuit, pramio accepto accusatur sepulcri violati.* Redeo ad Epitaphia, quæ non admodùm curare Judæos, dicit *Schickardus* de Jure Regio Hebræorum cap. VI. *Ita neque curant* (inquit) *an vel qualia ipsis Epitaphia erigamus. Laudo Maimonidem, qui censet, famam rectè factorum, quæ in vivâ posteritatis memoriâ perennat, esse splendidissimum Mausoleum, quovis marmore durabilius, quâvis statuâ pulchrius.* Subjicit verba *Maimonidis*, & post ea ait. *Nudæ tamen inscriptiones nominum & annorum non improbantur, quia historias & Chronologiam juvant*; additq; hujus rei exemplum aliquod femineum. Clausula harum inscriptionum plerumque erat; *Sit anima ejus in Paradiso: Anima ejus collecta sit in horto voluptatis, Amen, Amen, Amen, Sælah.* Item; *Sit anima ejus colligata in fasciculo viventium; vel Tu titulus es sepulcri Eliæ filii Salomonis, qui discesit in paradisum Eden, primâ die mensis N. Anno, N.* Vide jam dictum *Schickardum*, *David Chytræum* de Morte & vitâ æternâ pag. 106. *B. Gerhardum* Loc. VIII. de Morte §. 84. Sepulcris inscriptiones addere usitatissimum quoque fuit apud Christianos. Loqvuntur id Templa & cœmeteria passim Epitaphiorum plenissima. *Prudentius* in passione Hyppoliti Episcopi & Martyris:

Innumeros

Innumeros cineres ſanctorum Romulâ in Urbe
Vidimus &c.
Inciſos tumulis titulos, & ſingula quævis
Nomina difficile eſt, ut replicare queam.
Plurima literulis ſignata ſepulcra loqvuntur
Martyris aut nomen, aut Epigramma aliquod.

Epigraphas cùm antiquas tùm recentiores qui legere cupit, conſulat Epitaphia *Georgii Fabricii.* Monumentorum Italiæ libros IV. à *Laurentio Schrödero* divulgatos: Delicias Itinerum *Nathanis Chytræi*: Inſcriptiones marmorum totius Europæ *Petri Appiani, Cyriaci Anconitani, Martini Smetii &c.* Unicum nunc id reſtare videtur, ut de luctûs tempore diſpiciamus. *Eſt de mortuis eis, qui diliguntur, triſtitia quodammodo naturalis*, inquit Auguſtinus ſermone 32. Hinc Spartanus quidam mortuum deflens filium, increpanti reſpondit; *Quid facerem? Non enim ego, ſed natura mea mihi luctum excuſit.* M. Antonius Pius, cum Marcus Philoſophus mortuum Educatorem ſuum fleret, revocareturque ab aulicis miniſtris ab oſtentatione pietatis, dixiſſe ſcribitur; *Permitte illi, ut homo ſit, neq; enim Philoſophia vel imperium tollit affectus.* Hinc quoque lugere mortuos, magiſtrâ naturâ, conſuetudo tenet omnium Gentium, præter neſcio quas, quæ puerperia lugent, natosque deflent, ac funera contrà velut ſacra lætæ feſto cantu, luſuq; celebrant. Unde Ludovicus Corteſius, JCtus Patavinus, ut refert *Bernandinus Scardeonius* de claris Jurisconſ. Patav. lib. I. claſs. 8. moriens, contra communem mortalium morem ex teſtamento interdixit ſuis propinquis lacrumas & ſolitas funerum lamentationes, Ennii ſummi Vatis exemplo, & quæcunque lugubria ſolent ad mœſtitiam parari, abeſſe prorſus voluit. Contrà verò pro his acciri juſſit muſicos, Cantores & citharœdos & tibicines omnis generis, qui vario concentu, unà cum Clero funerum pompam partim præirent, partim ſequerentur &c. vide *Kornmannum* de Miraculis mortuorum part. VIII. cap. 3. Hujus teſtamenti meminit Paulus de Caſtro JC. idque tanquam hominis non ſanæ mentis in dubium vocat, in l. *quidam in ſuo D. de condit. inſtit.* Apud Iſraëlis poſteros luctum penè *pro parte ſacri cultûs* haberi, annotat *Schickardus*, Vir Orientalium LL. peritiſſimus, in ſuô Miſchpat hamm. pag. 170. & ex Moſis Maimonidis Jad chaſaka

chaſaka multis probat *Dn. L. Mart. Geier* tractat. de Hebræor. Luctu cap. I. Quanto verò tempore lugendi ſint defuncti, diverſa fuêre non tantùm apud diverſas gentes, ſed apud easdem quoque diverſis temporibus inſtituta & conſvetudines. *De tempore luctûs*, inquit *Jacobus Gretzerus* lib. I. de Fun. Chr. cap. ult. *nihil aliud habeo dicere; quàm fuiſſe incertum tàm Ethnicis, quàm Judæis & Chriſtianis.* Apud Romanos lugendi tempus pro conditione, ætate & cognatione hominum, à Numâ Pompilio conſtitutũ eſt. Puerum trimo minorem indefletum voluit, majores natu tot menſibus lugendos ſtatuit, quot quisque annos vixiſſet, neque tamen ultrà menſes decem. *Longiſſimum* enim *luctus tempus decem menſibus terminavit. Quod ſpatium à morte viri viduiſ quoque abſtinendi præfinitum eſt, à ſecundis nuptiis*, ut refert *Plutarchus* in vitâ ejus. Gratianus verò, Valentinianus & Theodoſius Impp. duos adhuc menſes adjecerunt, integrum annum lugendo marito præſcribentes, *Leg. 2. Cod. de ſecundis nuptiis*, ita quidem, ut ante exactum tempus luctus nubere nemini poſſent, niſi id peculiariter à Magiſtratu impetraſſent. Ab his Romanorum legibus recedit Jus Canonicum, dans viduæ poteſtatem etiam intra annum luctus nubendi c. Ephemium 2. q. 3. Sed hanc juris Canonici diſpoſitionem approbare non poſſumus, inquit *B. Gerhardus* Tom. 7. LL. §. 199. *cum repugnet honeſtati publicæ & introducat ſanguinis confuſionem & prolis incertitudinem, quin & maleficii ſuſpicionem confirmet.* Vide Conſtit. Electoral. Saxonicæ & confer. *Dn. D. Bened. Carpzovii* Lib. 2. Jurispr. Eccleſ. tit. 9. diſt. 159. Mulieribus ergò certum luctûs tempus definitum eſt, quo lugerent, idque annuum, non viris. Sic enim expreſſè lex IX. ff. De his, qui not. infam. *Uxores viri lugere non compelluntur. Seneca* Epiſt. LXIII. *Annum feminis ad lugendum conſtituere majores, non ut tamdiu lugerent, ſed ne diutius: viris nullam legitimum tempus eſt, quia nullum honeſtum.* Utut autem vidui jure divino & civili certum lugendi tempus non habeant præſcriptum, honeſtatis tamen, vitandique ſcandali ergò tenentur apud nos de jure Saxonico ad integrum ſemeſtre à novo matrimonio abſtinere, vide *Dominum Carpzovium* l. c. diſt. 160. & *Beat. Gerhardum* loc. allegat. §. 200. Nec parentibus, liberis utriusque ſexus, cæterisque agnatis & cognatis, Leges Civiles certum lugendi tempus

præscribunt, sed secundùm pietatis rationem & animi sui patientiam, prout quisque voluerit lugendos relinquunt *L. parentes XIII. ff. de his, qui not. infam.* Si *Nicephoro Calisto* lib. XIIX. hist. cap. 30. credimus, in Chubda civitate, quæ vicina est civitati Tangast in finibus Indiæ, præfectum mortuum, lege ita jubente conjuges ejus perpetuò lugent, neque unquam à sepulcro discedunt, pullâ veste indutæ, & capite novaculâ raso. De Græcis nihil habeo, quod dicam, nisi quod *Solon* Athenienſibus flebiles lamentationes & cætera dolorem testantia, velut inania & nihil vitæ proficientia sustulerit, & *Lycurgus* Spartanorum Legislator Lacedæmoniis II. dierum spatio luctum terminaverit, teste *Plutarcho*. De antiquis Germaniæ populis refert *Tacitus*, libello de Moribus Germ. *Lamenta & lacrymas citò, dolorem & tristitiam tardè ponunt. Feminis lugere honestum est; viris meminisse.* Non luxisse mortuos Germanos nostros, cæterosque Celtas præter Tacitum testatur quoque *Plutarchus* in Consultatione ad Apollonium his verbis; *Ex ipsis verò barbaris, si qui luctum exercent, non animosissimi Germani, non Galli, aut si qui alii generoso pleni sunt spiritu, id faciunt, sed Ægyptii, Syri, aliique horum similes.*

In V. Testamanto uniforme luctûs tempus non reperitur. Ægyptii mortem Jacob Patriarchæ luxerunt septuaginta dies *Genes. L, 3.* nisi fortè XL. dies ἐνταφιασμοῦ connumerantur XXX. diebus fletus, ut junctim constituant LXX. ut observant *Estius*, *Menochius*, *Calixtus* ad hunc loc. *Pererius* in Comment. *Dicitur*, inquit, *Flevitque eum Ægyptus septuaginta dies. Non est intelligendum, Ægyptios per septuaginta dies continenter lacrymas fudisse, nam ne ipse quidem Heraclitus, etiamsi totus lacrymis exstillasset, tamdiu lugendo esse potuisset. Vocabulo igitur luctus significatur totum id, quod circa funus exhiberi solet, nempe cum homines habitu & personâ cultuq; funebri amicti prodeunt, quod hodieque apud Christianos solemne est.* Eadem adfert *Rivetus* Exercitat. CLXXXVII. in Genes. in h. l. *Fletum*, inquit, *intelligere debemus de luctu ceremoniali, id est, quod totidem diebus signa quædam luctus pro suo more exhibuerunt, quomodo apud nos atrati incedunt & pullati, qui mortuos lugent.* Aaroni & Moysi Viro Dei solemnem luctum exhibitum à Filiis Israel per integrum mensem sive XXX. dies Num. cap. XX, 30. & extremo Deut. v. 8. legimus. Pium Principem ac Patrem Patriæ, Regem

Regem Josiam omnes ordines luxerunt, Jeremias maximè, omnesq; cantores atque cantatrices lamentationes ac lessos, quos *Jeremias* ediderat, per complures annos lamentabili voce & cantu lugubri recitarunt, 2. Paral. XXXV, 24.25. Judam quoque Machabæum per multos dies luxisse populum Israel, docet I. Libr. Machab. cap. IX, 20. Legitimum verò luctûs tempus apud Judæos XXX. diebus fuisse circumscriptum, ex *Josepho* docet S. *Ambrosius* initio Orationis de obitu Theodosii, de luctus defunctorum tempore agens: *Utraq; observatio*, ait, *habet autoritatem, quâ necessarium pietatis impletur officium; luctus quidem legitimum & idoneum fuisse tempus XXX. dierum apud Judæos, ex Mosaicis legibus Josephus* (lib. IV. ἀρχαιολογίας cap. VIII.) *tradit. Non priùs licebat cubile attingere, quàm abrasa fuisset, lugubremq; habitum induisset atq; propinquos & amicos eluxisset. Cum autem triginta dies in hoc luctu perfecisset* (*sufficiebant enim benè institutis triginta dies illi ad lacrymas & luctus charissimorum*) *tunc poterat ad nuptias & matrimonium se conferre.* Consentit *Moses Maymonides* H. Esel. c. 6. §. 1. ubi inquit; *Ex sententia scribarum Lugens totos triginta dies quibusdam indulget lugentium ritibus. Unde verò sapientes confirmant dies XXX? videl. quia dictum est*, (*Deuter. XXI. v. 13.*) *& flebit patrem suum, matremq; suam mense integro, cunctis itaque XXX. diebus mœrore afficitur lugens.* Sed & alibi ejusmodi luctum in funeribus ferè septem tantummodò dierum fuisse apud Judæos, legimus. Certè Ecclesiasticus cap. XXII, 13. ad septenarium duntaxat luctum super mortuo restringit inquiens; πένθος νεκρῷ ἑπτὰ ἡμέραι, *Luctus mortui septem dies*, vel defunctus septem dies est lamentabilis. Hinc *Joh. Steph. Menochius* Rep. Ebr. l. 8. c. 5. quæst. 10. *Hic videtur communis fuisse exequiarum modus, ut sc. unam Hebdomadam non excederent, sed per tot dies justa funebria celebrarentur, quod solebant dare lætitiæ nuptiali, ut patet ex Gen. XXIX, 27. & Tob. XI, 21.* confer *Jansenium* in h. l. *Bonartius* hoc Syracidæ conciliaturus cum altero c. XXXIIX. v. 17. amarè fer luctum illius uno die, ait Comm. fol. 317. *olim luctum vehementem adhibitum fuisse in funeribus amicorum, unò vel duobus diebus, prout conditio & dignitas illorum postulabat, moderatiorem v. & cum interpolatione diebus septem, nisi fortè essent viri illustres beneque de republ. meriti, quorum planctui dies triginta im-*

pendebantur. Quodsi essent mariti, uxores, parentes, &c. fortè spatium annuum concedebatur. Casparus Sanctius in Cap. XI. Lib. II. Regum ad vers. 27. Transacto autem luctu &c. annotat; *Planctus autem ille, ut opinor, septemdialis fuit; nam licet in aliquos principes productus fuerit ad spatium temporis longius planctus ille, ut in funere Aaron, cui impensi fuerunt dies triginta, Num. XX. v. 30. & totidem Mosi, Deut. XXXIV. aliis quasi legitimus planctus septem dierum fuit. Sic Jacobum septem diebus honorario planctu prosecuti sunt Ægyptii in terra Canaan, licet in Ægypto in ejus parentalibus dies multò plures consumpti sint. Et hunc septemdialem luctum esse legitimum, docet illud Eccles. XXII. v. 13. Luctus mortui septem dies, &c.* Gen. L, 10. quoq; dicitur; *Et fecit patri suo luctum septem dierum.* Ad quæ verba Augustinus in Quæstionibus super Gen. *Nescio,* inquit, *utrum inveniatur alicui sanctorum in Scripturis celebratum esse luctum novem dies, quod apud Latinos novendial appellant. Unde mihi videntur ab hac consvetudine prohibendi, si qui Christianorum istum in mortuis suis numerum servant, qui magis est in gentilium consvetudine. Septimus verò dies autoritatem in scripturis habet. Unde alio loco (*Eccles. XXII. vers. 13.) *scriptum est.* Luctus mortui septem dierum, fatui autem omnes dies vitæ ejus. *Septenarius autem numerus propter Sabathi Sacramentum præcipuè quietis indicium est, unde meritò mortuis tanquam requiescentibus exhibetur.* Hæc ille. De nobili illâ gentis suæ servatrice, Judith. c. XVI, 29. dicitur; *luxit illam omnis populus septem diebus.* Brevior ergò luctus fuit, vel longior pro dignitate mortui. Docet id iterum *Maymonides* H. Efel. cap. XIII. in medio verbis, ut latina ea habentur apud *Schickardum* de Jure Regio Hebr. cap. VI. *Non defient mortuum ultra triduum* (lacrymantes) *nec lugent, ultra septiduum* (in terra discalceati sedentes) *intellige hoc de vulgo. Nam sapientiæ studiosos plangunt pro modulo eruditionis illorum. Non tamen quempiam defient ultra mensem, nec lugent, ultra annum. Ecce enim nunquam habuimus majorem Mose nostro Præceptore, & de illo scribitur* (Deut. ult. v. 8.) *triginta diebus finitum esse fletum, sic nec ullum habuimus doctiorem R. Jehudâ Sancto* (quià morum honestate sic denominatus, collegit librum Mischnajot, Imperatori Antonino familiariter notus, è familiâ Hillelis & ipsius Davidis, itaque Christi cogna-

cognatus, juxta carnem) *& tamen non ultra XII. menses continuarunt luctum.* Parentes tamen mortuos liberi lugent per annum, ut etiam *Bonartius* observat. loc. all. confer *Buxtorfium* Synag. Judaic. cap. XXXV. Servos verò non plangunt, nec parvulos seu minorennes, teste sæpius citato *Maymonide* H. Efel. cap. 2. ante fin. Dolor moderatus & externa hujus luctus signa non improbantur apud Christianos. Tametsi argumenta multa tùm ex scripturâ, quàm ex ratione & exemplis adversus luctum pro mortuis adferri possint & soleant, nulla tamen sunt, quæ absolutè concludant contra omnem luctum & planctum, sed tantùm adversus immoderatum, ex impatientiâ vel diffidentiâ orientem. Quo referendum illud Apostoli 1. Thess. IV, 13. *De dormientibus non contristemini sicut alii, qui spem non habent.* Ubi non absolutè luctum prohibet *S. Paulus,* sed comparatè ad eos, qui spe beatæ vitæ & resurrectionis erant destituti. Hinc etiam Christiani Doctores veteres morem lugendi defunctos non reprehenderunt, ubi modum non excesit. Quod si verò fines decentiæ transcenderet planctus & luctus, aut aliquid affectati, ut fit interdum, resiperet, quem S. *Chrysostomus* Homil. LXI. in Joh. circa fin. *muliebrem morbum vocat*) non defuerunt hortatores, qui lugentes intra cancellos rationis revocarent. Proinde rectè invehitur jam dictus *Chrysostomus* in Christianos sui seculi, qui cruentarant brachia, sciderant capillos, laniarant genas, nigrisque se obvelarant vestibus, Homil. LXI. in cap. 2. Johan. *Non,* inquit, *lugere, sed ἀμέτρως, sine debitâ moderatione lugere, veto. Non sum immanis atq; crudelis, video naturam dolere & quotidianam requirere consvetudinem: Non licet nullo affectu moveri, quod & Christus ostendit, lachrymatus super Lazarum: Ejus exemplum sequere; lacrimare, sed leniter & prudenter & cum Dei timore.* Idem inquit Homil. 3. in Epistol. ad Philipp. *Defleamus* (mortuos) *sed non præter decorum. Cyrillus* in Johan. lib. VII. cap. 20. ait; *Erudiit nos Dominus* (scil. ad sepulchrum Lazari, amici sui flens Joh. XI, 34.) *suis lacrymis, quonam modo charos nostros vitâ functos moderatis & lege rationis temperatis lacrymis flere debeamus. Nam ex toto, nec compati, nec mœrere, ferinum est & durum, horum verò exuberantia, muliebre. Tu verò cur impatienter feras subductum,* inquit alicubi *Cyprianus, quem credis reversurum. Profectio est, quam putas mor-*

eas mortem. *Ignoscimus matris lacrymis, sed modum quærimus in dolore*, ait *Hieronymus* Epist. XXV. ad Paulam super obitu Blæsillæ. *Permittantur pia corda charorum, de suorum mortibus contristari, dolore sanabili & consolabiles lacrymas fundant*, dicit S. *Augustinus* Sermon. XXXIV. de Verbis Apostoli. *Non culpamus affectum, nisi cùm excedit modum*, inquit *Bernhardus* Sermon. XXVI. in Cantica. *Grandis enim in suos pietas, impietas in Deum est*, ait modò citatus *Hieronymus* loc. alleg. *Formidandum enim omninò*, inquit *Cyrillus* dicto loco, *ne divinam contra nos iram provocemus nimio luctu, adeò obnixè reluctantes, quod ipse, qui vitæ & mortis habet imperium, constituit faciendum.* De tempore verò luctus, quid antiqui Christiani senserint, ex libro VIII. Constitut. Apostolic. (quas non ideò adducimus, quod censeamus esse Apostolicæ originis, vel autoritatis, sed quia non planè omnis expertes sunt antiquitatis) cap. 48. quodammodo colligi potest, confer *Lorinum* ad cap. IIX. Actor. v. 2. *Tholosanum* Syntagm. Juris univ. Libr. II. cap. 14. Fuisse apud Christianos in usu, ut mortuos per septem dies deplorarent, docet Magister Historiæ Scholasticæ, P. *Comestor.* Accedit huic mori mysterium, quod tangit *Ambrosius* Orat. de Fide Resurrect. *Nunc die septimo ad sepulchrum redimus, qui dies Symbolum futuræ quietis est.* De *consecratione* autem & θεοποιία Gentilium, quomodo nempè fatua Gentilitas, nonnullos vitâ functos, post delatum sepulturæ honorem, modò citiùs, modò tardiùs, certis quibusdam ritibus & ceremoniis in deos retulerit, (quam rem pulcherrimâ narratione exponit in vitâ Antonini *Herodianus*) vide disserentem *Kirchmannum* lib. IV. cap. XIII. & XIV. Redolet istam Ethnicorum ἀποθέωσιν superstitiosa Papalis Canonizatio, quâ Pontifex Rom. per suam, quam sibi sumit, omnipotentiam, sanctos esse jubet & in certum divorum ordinem adscribit post fata, benè de se meritos, de cætero sæpè pessimos. Vide *Henricum Kornmannum* de miraculis Mortuorum parte VIII. c. XX. Narrat. *Guliel. Camdenus* Strabo ille Britannicus in Britanniâ suâ pag. 131. Henricum VII. Regem Angliæ sanctas Henrici VI. Regis virtutes tantoperè admiratum fuisse, ut cum Julio II. Pontific. Roman. egerit, de illo inter Divos referendo. *Sed* (addit) *quo minus hoc fieret, in causâ erat Pontificis avaritia, qui pro regis Apotheosi nimis magnam pecuniæ vim exegit, ut videretur non Principis sanctitati, sed auro honores illos delaturus.*

CAPUT XIV.

De Excessu circa sepulturam, cùm ratione sumptuum, tùm ratione subjecti sepeliendi.

EXcessus circa funerationem positus inprimis fuit antiquitus in inutili sumptuum profusione. Jure merito culpandi hîc sunt Tybricolæ, quos modum excessisse in impendendis in res funereas atque adeò perituras sumptibus, ex præcedentibus oppidò conjicias. Vidimus enim quanto studio præparata apud eos functorum corpora, vermibus esca futura, quantâ pompâ educta, quàm splendidis vestibus, pretiosisque rebus aliis funerata, quantis impensis sepulcra condita, Epulæ, ludi instituti ac munera data. Et quanquam de sumptibus funerum caverunt Leges XII. Tabular. *Sumptum minuito; tria, si voles, reicinia* (vestimenti genus erat) *& vincula purpuræ & decem tibicines adhibeto; hoc plus ne facito.* Ac alibi: *Neve aurum* (mortuo) *addito* &c. (Fragmenta legum harum Xviralium recenset *Cicero* in fine libri II. de LL. ubi inter cætera ita loquitur; *Nostræ quidem legis interpretes, quo capite jubentur sumptus & luctum removere à deorum manium jure, hoc intelligunt, inprimis sepulchrorum magnificentiam esse minuendam.*) Non tamen vim suam Leges XII. Tabul. obtinuerunt, sed ad immensos sumptus progressa ista res est. Sylla legem promulgavit, quâ funebres impensæ & ambitiosæ exequiæ atque ad rogum munera, nec non conviviorum impendia præscripto fine taxabantur; sed legem hanc suam in Metellæ conjugis funere transgressus ipse, profusione maximâ exequias dedit. *Alexand. ab Alexandro* lib. VI. Genial. Dier. cap. 14. Athenienses, quos ad summam superstitionem anxios fuisse in rebus funereis alibi dixi, postquam sumptuosa funera ac ampla nimis sepulcra facere cœperunt, Solonis lege prohibiti sunt, ne sepulcrum facerent operosius, quàm quod decem homines efficerent triduo. Neque id opere tectorio

ctorio exornari, nec Hermas, quos vocant, licebat imponi, ut refert *Cicero* libr. II. de Legibus, ex Demetrio Phalereo. *Posteaquam*, inquit, *ut scribit Phalereus, sumptuosa fieri funera & lamentabilia cœpissent, Solonis lege sublata sunt. Quam legem iisdem propè verbis nostri Xviri in undecimam tabulam conjecerunt. Nam de tribus reiciniis & pleraq; alia Solonis sunt*; subjicitq; legem jam dictam Solonis, quâ amplitudo ac magnificentia ædificandorum sepulcrorum Athenis inhibita fuit. Et post aliqua inquit: *Sed ait rursus idem Demetrius, increbuisse eam funerum sepulcrorumq; magnificentiam, quæ nunc ferè Romæ est. Quam consvetudinem lege minuit ipse.* Lycurgum itidem, omnem circa mortuos & sepulcra superstitionem sustulisse tradit *Plutarchus* in Lycurgo & Lacon. Ulysses maximè sibi curæ esse, ut splendido opere defunctus sepeliatur, quippe quod ad memoriam extendendam maximè faciat, proclamat apud *Euripidem* Hecuba. Ita quidem fatuus ille, ut malit in vitâ re esse tenui, quàm honoratâ sepulturâ carere. *Barthius* libr. LIII. adverss. cap. VII. Hephestionis funus Babylone ab Alexandro celebratum, quæ toto sunt terrarum Orbe unquam edita, facilè excessit magnificentiâ, & sumptu, quando ad duodecim talentorum millia traduntur effusa, quo nomine in proverbii faciem trahi scienter potest *L. Cœlius Rhodigin.* Lect. Antiq. lib. XVII. c. 19. Ægyptios de structurâ domorum minus fuisse solicitos, in adornandis autem sepulcris eximiè, nihil studii fecisse reliquum, refert *Diodorus Siculus* lib. I. cap. 51. Inprimis mirificâ & portentosâ magnificentiâ extructa fuerunt apud illos priscorum regum sepulcra, ut apud eundem lib. dicti cap. 48. & 49. legere est, ubi prolixè describit monumentum regis Osymanduæ, quod non modò sumptuum magnificentiâ, sed & artificum industriâ cætera antecelluisse dicit. *Rarum & memorabile est* (inquit *Corn. à Lapide* Com. in Jer. cap. XXII, 19. *quod scribit Plinius lib. XXXVI. c. 12. justo judicio Dei factum esse, ut ignoretur, quinam fuerint Pyramidum Ægyptiarum autores, eò quòd ipsi in insanis hisce fabricis (quæ Romam translatæ, etiamnum intuentibus sunt stupori,) regum opes exhauserint, & nominis æternitatem apud posteros quæsierint.* Erat & alia vanitatis & superstitionis species, ut hoc obiter addam, apud Ægyptios veteres, si non omnes, saltem aliquos. Hi enim corpora medicata i. e. aromatis

matis condita & exsiccata, nec cremabant, nec sepeliebant, sed domi in conclavibus & lectulis asservabant, mensisque itidem adhibebant tanquam convivas. Vide *Ciceron.* 1. Tusc. *Pompon. Melam* de Situ Orbis libr. I. cap. IX. *Lucianum* in De luctu. Unde *Silius Italicus* lib. XII.

——— *Ægyptia tellus*
Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora, & à mensis exangvem haud separat umbram.

Retinuerunt hanc inveteratæ consvetudinis vanitatem Christiani nonnulli in Ægypto ex Paganismo conversi aliquandiu, quam acriter reprehendit Antonius Eremita, ut in ipsius vitâ, quæ sub *Athanasii* nomine circumfertur, habetur: *Mos etenim Ægyptiis est, nobilium & præcipuè beatorum Martyrum corpora linteamine quidem obvolvere, & studium funeri solitum non negare; terrâ verò non abscondere, sed super lectulos domi posita reservare. Hunc honorem quiescentibus reddi, inveteratæ consvetudinis vanitas tradidit. De hoc Antonius sæpè & Episcopos deprecatus est, ut populos Ecclesiasticâ consvetudine corrigerent, & laicos, viros ac mulieres rigidius ipse convenit, dicens: Nec licitum hoc esse, nec DEO placitum, quippe cum Patriarcharum & Prophetarum sepulcra, quæ ad nos usque perdurant, hæc facta convincerent.* Eandem fuisse ipsius Athanasii mentem, testatur *Damascenus* Orat. I. de imaginibus; *Scimus B. Athanasium Sanctorum reliquias non in urnis collocandas, sed humi condendas esse eo consilio censuisse, ut absurdum Ægyptiorum morem abrogaret, qui mortuos suos non sub terram condebant, sed in lectulis & scimpodiis collocabant.* Notandum hoc contra Pontificiorum superstitionem, qui honestè sepulta corpora effodiunt, ut membra & partes defunctorum, omnium oculis subjiciant, & superstitiosè adorari curent. Qua de re *Erasmus* in peregrinatione, sic Menedemum loquentem introducit; *Dictu mirum, quantum ossium illinc prolatum sit*, (loquebatur de sacrario Cantuariensi) *calvaria, menta, dentes, manus, digiti, integra brachia, quibus omnibus adoratis fiximus oscula, nec erat futurus finis, nisi quitum mihi comes erat peregrinationis parum commodus, interpellasset ostentandi studium.* Sed ut ad impensas funereas revertar; in sumptibus parentalibus faciendis, non videri cessisse ulli genti Danos, inquit *Olaus Wormius* Monumentorum Danicorum lib. I. cap. VI. Hoc ut probet inter alia adducit exempli

loco *ex Saxone Grammatico* Haraldum Gormonis filium, qui universum regni exercitum, boumque numerum ingentem inusitatæ magnitudinis saxo in Jutico littore reperto applicuit, quo matris tumulum insigniret. Gallorum etiam funera *pro cultu fuêre magnifica & sumptuosa*, atteſtante *Cæsare* Comment. VI. de Bell. Gall. item in Hiſpanicis, de Viriathi ducis ipſorum funere loquens; Οὐΐριαθον μὲν λαμπρότατα κοσμήσαντες ὑπερυψηλοτάτης πυρᾶς ἔκαυσαν, i.e. *Viriathi corpus magnificentiſſimè exornatum in altiſſimo rogo cremarunt.* De Judæis ſcribit *Hieronymus* & poſt eum *Nicolaus de Lyra*, moris fuiſſe apud eos, ſepeliri ſumptuosè, præſertim nobiles. Cardinalis *Baronius* ad annum Chriſti XXXIV. numer. XCI. & *Pineda* in Jobi cap. III. v. 15. num. 4. referunt, Tantùm olim excreviſſe apud Hebræos hanc funerum impenſam, ut interdum ejus magnitudine deterriti cognati & propinqui, relicto cadavere ſe aliquandiu ſubducerent. Moderata autem hæc fuiſſe à Gamaliele ſeniore, filio Simeonis, nepote Hillelis, ad cujus pedes Sanctus Paulus Apoſtolus Jeroſolymis in Judaiſmo enutritus creditur, atque ſtatutum, ut non niſi ineis velis cadavera obvolverentur, cujusvis eſſent conditionis aut ordinis. Ex *Zæm. Dav.* fol 36. b. citat. *Schikardus* de Jure Regio cap. VI. verba, quæ ut togâ donata adſcribam: *Rabban Gemaliel ſenex præcepit ante obitum, ut ſe vilisſimâ veſte lineâ ſepelirent. Nam prius conſueverant mortuos in holoſericis efferre, ut ſepultura conſanguineis gravior fuerit (minusq; tolerabilis) ipsâ morte, ſicut eſt in Talm. cap. 2. Maſs. Schabb.* Sed de lege Judæorum, quâ luxus veſtium ſepulcralium prohibebatur, egi ſuprà *cap. V.* ubi de veſtitu. Augebat maximè ſumptus auri pecuniæque ac aliarum pretioſarum rerum in ſepulcra illatio, pluribus populis familiaris admodùm. Non repetam ea, quæ *cap. VII.* dixi de munerum in rogum conjectione apud Gentiles. Cum auro & argento, inquit *Kornmannus* de miraculis mortuorum part. X. cap. XIX. morem ſepeliendi olim apud Romanos uſitatum fuiſſe, apparet ex Ulpiani reſponſo, qui tamen hiſce verbis prohibetur in l. & ſi quis §. non oportet. de relig. & ſumpt. fun. Non oportet ornamenta cum corporibus condi, nec quid aliud hujusmodi, quod homines ſimpliciores faciunt. Refert *Beſoldus*, Conſider. Polit. de vita & Morte cap. III. ex Arngrim. Jona de Islandia lib. 2. ad fin.

ad fin. In Islandia quondam, indignum præclaro parente habitum fuiſſe filium, qui in armis minùs poſſet: utque poſteri cum majorum rerum geſtarum gloriâ magis contenderent, vetuiſſe, bona parentum armis quæſita, ad filios devolvi hereditario jure; quin ea potiùs, cum defunctis Dominis inhumanda cenſuiſſe; ut ſunt aurum, argentum, gladii, clypei, equi &c. Occaſionem inveſtigandi hujusmodi theſaurum ſepulchris includi ſolitum Dario dedit inſcriptio monumenti Nitocris (vel ut Plutarchus vult, Semiramidis) reginæ Babylonis. Hæc enim cùm ſepulchrum ſibi exſtruxiſſet admirandi ſumptus ſupra portas urbis, inſcribi juſſit hæc verba; *Quicunque Rex pecuniis indiget, aperto monumento, quod voluerit, accipiat.* Quas literas cùm legiſſet Darius, fruſtrà opinatus eſt, theſaurum ibi reconditum eſſe, ſepulcris lapide revoluto, non quidem pecunias, ſed literas alias vidit ita dicentes: *Niſi pecuniis eſſes inexplebilis & turpis lucri cupidus, defunctorum ſepulcra non aperuiſſes.* His lectis ab ulteriore inveſtigatione & infeſtatione ceſſavit, vide *Herodotum* libr. I. Salomon Rex ditiſſimus; ut eſt apud *Joſephum* libro VII. antiq. cap. ult. Præter ſolemnia illa in Regum funeribus, ingentem pecuniæ vim patrio intulit ſepulcro: de quâ poſt multos annos Hircanus Pontifex, cùm ab Antiocho Rege, cognomine Pio, Demetrii filio, urbs Hieroſolyma oppugnaretur, tria talentorum millia extraxit, eorumque partem Antiocho, ut obſidionem ſolveret, numeravit, ſeque ac urbem oppugnationis periculo exemit. Unde *Egeſippus* lib. I. de excid. Urbis Hieroſolym. cap. I. *Repulit. Hircanus auro, quem ferro nequibat, reſemtoq;, ut Joſephus autor eſt, Davidis ſepulcro, tria millia auri talenta eruit.* Refert *Joſephus* loc. cit. Herodem Regem poſtea ad exemplum Hircani aliâ cellâ apertâ, magnum inde auri ſummam ſuſtuliſſe. Vide & eundem lib. XVI. cap. XI. de Herode, ubi tamen paulò à ſeipſo diverſus eſt. Hic autem mos defodiendi pretioſa cum cadaveribus, irrationabilis viſus eſt Hebræis Doctoribus; *Præcipiunt* (inquit *Schickardus* loc. ſæpiùs alleg. p. 163.) *ſapientes* (Hebræi) *cavere, ne quid facilè unà defodiatur, quod aut pretioſum ſit, aut honeſtius utiliusq; poſſit egenis erogari*: ſubjicit verba Magiſtri Hebræorum *Maymonidis* ex H. Efel. cap. 14. quæ latina facta adſcribam, quantum ad noſtrum inſtitutum; *Docendi tamen ſunt homines, ne ſint*

dissipatores, vel assvescant intempestivis perditionibus. Præstat enim ea dare pauperibus, quàm sic inutiliter vermibus objicere. Irrepere etiam in Ecclesiam Christianam quandoque cœpit luxus & ostentatio circa sepulturam. Quam rem vehementer detestati sunt Sancti Patres. *Hieronymus* in fine libri de vitâ Pauli Eremitæ; *Cur & mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus? Cur ambitio inter luctus, lacrymasq; non cessat? An cadavera divitum, nisi in serico, putrescere nequeunt? S. Chrysostomus* Homil. 84. *Tu cùm audieris nudum Dominum resurrexisse, cessa, quæso, ab insanâ funeris impensâ. Quid sibi hoc superfluum vult, & inutile dispendium, quod ipsis, qui faciunt, plurimùm affert detrimenti, mortuis nullam utilitatem, vel damnum potius. Sumptuosa namque sepultura, interdum causa est, ut fures cadaver effodiant & nudum & insepultum projiciant.* Et post pauca; *Quod ego non ut sepulturam tollam, dico, absit, sed luxuriam & superfluam ambitionem.* Idem ibidem dicit, *Dominum non addidisse* (Matth. XXV.) *mortuus fui & sepelistis me, quia sponte suâ homines non solùm hanc eleemosynam facere solent, sed etiam nimium in eâ faciendâ excedere.* Huc pertinet illud Ambrosii; *Quid profecit sepulchrorum superbia: Damna sunt potius viventium, quàm subsidia mortuorum.* Illudque Drexelii Jesuitæ in Tobia parte I. cap. IV. §. 1. *Sæpè funeris sumptuosa nimium pompa est, ipsis mortuis induimus superbiam. Ah quid ista manes juvant? Verbo veteri non rarò dixeris; Honorantur, ubi non sunt, & ubi sunt, cruciantur.* Quidam Christianorum non pretiosis tantùm vestibus defunctorum involvebant corpora, sed & alias res sumptuosas, aurum etiam & argentum sepulcris inferebant, quæ illecebræ & irritamenta erant furibus, violandi, effringendique mortuorum monumenta. Vide *Gretserum* libro I. de Funere Christian. cap. VI. *Pinedam* loc. suprà all. *Ædificia tegant cineres*, inquit *Cassiodorus* lib. IV. Var. Ep. XXXIV. *columnæ vel marmora ornent sepulcra, talenta non teneant, qui vivendi commercia reliquerunt. —— Imò culpæ genus est, inutiliter abditis relinquere mortuorum, unde se vita viventium sustentare potest.* Hactenus de primâ Capitis parte, succedit altera, quæ est de Excessu circa sepulturam, ratione subjecti sepeliendi. Quidam enim Gentilium non contenti magnos impendisse sumptus funerandis humanis corporibus vitâ functis, ipsa quoque animalia bruta hoc *honore supremitatis*, ut vocat *Ammianus Marcellinus*, affecerunt. Sic equis & canibus suis honorificam Reges & Impp. nonnulli sepulturam præstiterunt. *Cui non compertum*, inquit *Kornmannus* de Miraculis mortuorum parte VII. cap. XIV. *quantâ pompâ* Cimon Atheniensis *sepelierit in proprio sepulcro vicino, equos suos, quibus cum trinâ vice in ludis Olympicis victor evaserat.* Magnus ille Alexander exquisitissimas famoso equo suo, *Bucephalo*, duxit exequias, urbe insuper ejus nomine in rei memoriam dicatâ ad flumen, *Idaspen*, ubi mortuus conciderat, ut plurimi tradunt Scriptores. Equos suos sibi inprimis charos sepulcro honorarunt Augustus Cæsar, Antonius Verus, Nero, Caligula, Adrianus, Commodus Verus, Adriani Imp. adoptivus filius, ut refert *Kornmannus* loco jam citato. Adrianus insuper Boristhenis equi tumulum Epitaphio ornavit, quod ipsum cum notis vide apud *Barthium* libr. XXIII. adversus cap. VIII. Agrigentini equis suis in certamine probatis non negarunt sepulturam, imò complurium Equorum tumulos in Agrigentinâ regione Pyramidas habuisse, testatur *Plinius* lib. VIII. H. N. cap. XXII. *Miltiades tres equas Olympiæ victrices* (quæ ad Olympiam, quinquennalibus ludis illustrem Urbem, curuli certamine victoriam erant adeptæ,) *tumulo in Ceramico* (Athenis) *composuit. Evagoras Lacon itidem Olympionicas Equas magnificè sepelivit*, ut narrat *Ælianus* lib. XII. de Animalibus cap. XL. Canes etiam sepulturæ honore affecit Adrianus Imper. affirmante id *Ælio Spartiano* in Adriano. Quanto impenso columnarum de porphyrite tumulavit Polliacus dilectissimum suum canem, ornando eum bellissimo Epitaphio, inquit *Kornmannus loc. alleg.* Romæ in hortis Cardinalis Urbini Epitaphium Canis tale legitur;

Quod potui, posui tibi fida catella sepulchrum,
Digna magis cœli munere, quàm tumuli.

Ibidem Corvum aliquando, (qui omnes senatores & patricios nominatim appellare fuit solitus,) prælatis coronis ac præcedente tibicine duorum Æthiopum humeris elatum esse, refert *Plinius* libr. X. capit. XLIII. Ægypti Regem nomine Marrhem Cornici ita edoctæ, ut hinc inde sub alis literas portaret, præpete volatu, sepulcrum exstruxisse, asserit *Ælianus* lib. VI. Animal.

cap. VII. Lacydem Philosophum Peripateticum, Anserem ita ipsi adhærentem, ut nec domi, nec foris ab eo discederet, post mortem non minùs ambitiosè, quàm aut filium aut fratrem sepulturæ honore affecisse, autor est idem *Ælianus* lib. VII. Animal. cap. XLI. Narrat *Diodorus*, referente *Kornmanno loc. cit.* de quodam, qui in solâ sepulturâ diversorum Animalium aliquot vicibus impenderit centum talenta. Persæ & Parthi consveto more sepeliverunt suos equos, Molossi suos canes, teste *Rhodigino* in antiq. lect. LVIII. c. 13. *Statius* Poëta Lib. II. Sylvar. in Epicedio Pileti:

—gemit inter bella peremptum
Parthus equum fidosq; canes flevêre Molossi:
Et volucres habuêre rogos, corvusque Maronis.

Ægyptii boves, feles, canes, ursos, lupos, Ichneumones, accipitres & quas Ibides vocant, aliaque animalia, quæ non viva tantùm, sed & demortua venerabantur. Sic enim de illis *Herodotus* libr. II. *Quibuscunque in domibus felis oppetit mortem, earum domorum habitatores cuncti sola supercilia eradunt: totum autem corpus & caput, in quorum domibus moritur canis. Efferuntur autem feles mortuæ ad sacra tecta, ubi salitæ sepeliuntur in Urbe Bubasti. Canes fœminas in sua quisq; urbe tumulant, sacratis in loculis. Eodem modo, quo canes fœminæ, ichneutæ sepeliuntur. Nam Mygalas*, i. e. mures araneos, *& accipitres in urbem Butum asportant; Ursos autem, qui saevi sunt, & lupos non multò vulpibus grandiores, eò loci sepeliunt, ubi jacentes inveniunt.*

CAPUT XV.

De Neglectu Sepulturæ, abolendique cadavera variâ ratione apud Gentes.

QUanquam maxima Gentium pars in alia omnia discors, in hoc conveniebat, humanorum post fata corporum curam exactè gerendam esse, non defuerunt tamen, qui spernerent penitus. Plurimi Veterum sapientiæ Consultorum, inprimis Stoicorum rigida & ab humanitate remota secta, sepulturam corporum,

rum, ejusque curam fecerunt minimi, parum omninò interesse rati, an corpus periturum supra terram, an infra contabescret, ignis, aer, fluctus an mare illud consumeret. Obvia sunt eorum scita. Quibusdam illud semper in ore,

Libera fortunæ mors est, capit omnia tellus,
Quæ genuit, cœlo tegitur, qui non habet urnam.

Sentienti, dicebat alter, *onus est terra, non sentienti supervacaneum.* Mecænas, cætera effæminatus, hoc unum masculè dixisse fertur;

Nec tumulum curo, sepelit natura relictos.

Diogenes ille Cynicus, quomodo se sepeliri vellet, interrogatus, jussit cadaver ejici inhumatum in apricos campos; Tum amici; volucribusne & feris? Minimè verò, inquit, sed bacillum propè me, quo illas abigam, ponite. Rursum illi; Quî poteris? non enim senties? Quid igitur, inquit, mihi ferarum laniatus oberit, nihil sentienti; Ferarum ventre an terrâ condar, quid refert? Apophthegm. *Erasmi* libr. III. confer *Ælianum* Variæ histor. l. VII. cap. 14. *Diogenem Laërtium* in vita ejus. Demonactem amici rogabant, quomodo vellet sepeliri: *Ne quid*, inquit, *ista res nos habeat sollicitos; fœtor me sepeliet*, & dicentibus; indignum facinus, si talis viri corpus laceraretur à canibus; quid, inquit, incommodi, si & mortuus alicui sim usui. *Erasmus* libr. VIII. Apoph. Solon unus ex septem Græciæ sapientibus & Atticarum legum scriptor solus ex septem in Cypro diem suum obiit, ossa verò transferri Salaminem, (unde oriundus erat Sapiens,) ac in cinerem redacta spargi illic voluit. *Meursius* in Solone. Theodorus Cyrenæus, Philosophus non ignobilis, Lysimacho Regi, crucem minanti, istis quæso, inquit, ista horribilia minitare, purpuratis tuis, Theodori quidem nihil interest, humine, an in sublimi putrescat. *Tullius* in extremâ primâ Tusculanâ. *Seneca*, Romanus sapiens, Epistol. XCII. pag. 768. *Nemo liber est*, inquit, *qui corpori servit, cujus moroso sum imperium, delicatumque est. Ab hoc modò æquo animo exit, modò magno profilit, nec quis deinde reliquiis ejus futurus sit exitus, quærit. Sed ut ex barbâ capillos detensos negligimus, ita ille divinus animus egressurus hominem, quo receptaculum suum conferatur, ignis illud exurat, an feræ dissipent, an terra contegat, non magis ad se judicat pertinere, quàm secundas ad editum infantem. Utrum*

tem. *Utrum projectum aves differant, ac consumatur* canibus data præda marinis, *quid ad illum? qui tunc quoque, cum inter homines est, nullas minas timet, ullasne timebit post mortem? Neminem*, inquit porrò, *de supremo officio rogo. Nulli reliquias meas commendo, ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit. Quem sævitia projecerit, dies condet.* Græcus Scriptor apud *Stobæum* Sermone XXXVIII. *Si non tegaris terrâ & insepultus sis, quæ hæc molestiâ? aut quid refert, igne comburi, aut à cane devorari, aut supra terram existentem à corvis, seu defossum à vermibus?* Nonnullæ etiam Gentes eò processerunt immanitatis, humanitatis, quam naturæ lex imperat, oblitæ in tantum, ut mortuorum corpora in cibum converterent & epulis immista, intra viscera sua reciuderent, honestum esse arbitratæ, suis in proprio ventre conditorium struere. Unde *Petronius Arbiter* in Satyr. *Apud quasdam gentes scimus adhuc legem servari, ut à propinquis suis consumantur defuncti, adeò quidem, ut objurgentur ægri frequenter, quòd carnem faciant pejorem.* Ex Britannicis populis Iberni, efferati homines, parentum defunctorum corpora frustillatim dissecta vorarunt, pietatis esse rati, si egressi ex viventium illorum viscеribus, ingressum in sua vicissim non denegarent functis. *Strabo* libr. IV. Massagetæ, Derbices, Essedones (Scytharum hi populi sunt) mortuorum corpora cæteris mixta carnibus comedentes pulchrum sibi illud & jucundum ducebant epulum. De illis *Strabo* lib. XI. *Mortis genus optimum censent, si senio confecti cum carnibus ovillis in frusta concidantur, unaq; devorentur: qui è morbo decedunt, eos abjiciunt, tanquam impios & dignos, qui à feris vorentur.* Idem de Derbicibus. *Qui LXX. annum excesserunt, eos jugulant, carnes genere proximi absumunt: vetulas strangulant, inde sepeliunt, qui intra LXX. annum moritur, non editur, sed humatur.* Eadem habet *Ælianus* l. IV. Var. Hist. cap. I. ubi vitiosè legitur βεβίκκαι pro Δεβίκκαι. De utrisque vide *Hieronymum* Epistol. contra Jovinianum, libr. 2. de Massagetis verò Herodotum lib. I. in fine. Senio autem confectos parentes, imbellem turbam, mactare, & carnibus ipsorum vesci solebant, tum ut à se potiùs, quàm à vermibus absumeretur. De Essedonibus ita *Pomponius Mela* de Situ Orbis lib. II. cap. I. *Essedones funera parentum lati & victimis ac festo coitu familia-*

rium celebrant. Corpora ipsa, quod dictu audituque fœdum est, laniata & cæsis pecorum viscеribus immista epulando consumunt. Capita ubi fabrè expolivêre, auro cincta pro poculis gerunt. Hæc sunt apud eos ipsos pietatis ultima officia. *Silius Italicus* libr. XIII.

At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent
Ossa (nefas) auro, & mensis ea pocula servant.

Hinc *Æneas Sylvius*, aliàs Pius II. P. R. in descriptione Asiæ cap. XIII. *Essedones*, inquit, *ossa capitum suorum parentum, auro cincta, in poculorum tradere ministerium, asserunt.* De Essedonibus idem, quod jam ex Pomponio Mela adduximus, tradit *Herodotus lib. IV.* nisi quod defunctorũ capitibus inauratis pro sigillis eos uti dicat. De Padeis gente Indicâ refert idem *Herodotus libr. III.* illos in more habuisse positum, ut quoties aliquis civium ægrotarit, illum sui maximè familiares interemerint, quòd dicant, illum morbo tabescentem carnes ipsis corrupturum. Et licet ille neget se ægrotare, nihilominus isti non ignoscentes, necant eum epulanturque. Hodie adhuc in India Occidentali populi nonnulli efferati ipsi devorant suos mortuos, quos tamen plerumque trucidant, ne morte expirent naturali, minusque delicatas superstitibus epulas præbeant, referente *Wendelino* Politic. Libr. II. cap. 21. p. 265. Fuerunt, qui avium canumque laniatibus mallent corpora exponere, quàm humo tegere. Persæ veteres, nobilissima natio, quanquam fato defunctos cerâ circumlitos, ut maximè diuturni essent, domi condebant, ut refert *Alexander ab Alexandro* Gen. Dier. libr. III. cap. 2. Aliquibus tamen ex eadem gente solemne fuit, canibus, feris & volucribus dilaniandos objicere mortuos, ut scribit *Procopius* libr. I. de bello Persic. *Agathias* libr. II. Histor. Solemne iis fuisse, ait, corpora extra urbis mœnia elata in campo deponere, ut pabula dent carnivoris alitibus. Execrabilia autem ea censere, quæ devoratorem aliquem non primo quoque tempore invenirent, eaque demum lugeri à cognatis solita tanquam solo barathro digna, & malis Dæmonibus mancipata. Verùm hoc, quod de Persis referunt Procopius & Agathias, postremis temporibus apud illos in usu fuisse observat *Kirchmannus* in Appendice ad Lib. de Funeribus Rom. cap. II. Antiquissimos autem Persas mortuos suos humasse: nisi quod Magi in Persia illos feris prius lani-

us laniandos objecerint, ut tradit *Cicero 1.* Tuscul. *Magorum mos erat non humare corpora, nisi à feris essent ante laniata.* De Parthis, procul à nostro Orbe sitis, scribit *Justinus* libr. XLI. *Sepultura vulgò aut avium aut canum laniatus est; Nuda demùm ossa terrâ obruunt.* Hircanis, quorum horrida & inculta vita fuit, canes ad hoc officium nutriti, pro sepulcro fuêre, qui sepulcrales hinc dicti. Ita enim sub finem I. Tusculanarum *Tullius: In Hircania plebs publicos alit canes; optimates, domesticos. Nobile autem genus canum illud scimus esse, sed pro suâ quisque facultate parat, à quibus lanietur: eamque optimam illi censent esse sepulturam.* Idem de Bactriis refert *Strabo* lib. XI. De Caspiis verò lib. eodem; *Caspii*, inquit, *eos, qui septuaginta, amplius, annos vixerunt, fame enectos in solitudinem ejiciunt: eminusque spectantes, si à feretro detrahi eos ab avibus videant, prædicant beatos; sin à feris aut canibus, non item; infelices si omninò non detrahantur.* Unde *Alexander Sardus* de Moribus & ritibus Gentil. lib. I. cap. 23. p. 69. *Caspii collocant in solitudine septuagenarios, felicesq; credunt, qui vivi devorantur.* Iberi, quod *Silius Italicus* docet lib. II. Punicor. Vulturibus mortuos exposuerunt. Hinc Diogenem dixisse ferunt, si canes cadaver suum lacerarent, Hircanam sepulturam fore; si vultures, Iberam, teste *Stobæo*, Sermon. 122. Chii combustis cadaveribus & ossibus collectis in mortuario ea contundunt; deinde navigio imponentes, in altum navigant, atque per cribrum ad ventorum flatus dispergunt, donec omninò dissipentur & aboleantur, ait *Kornmannus* de mirac. mortuor. part. VIII. cap. IV. Quosdam Æthiopum, qui ἰχθυοφάγοι dicuntur, ante demortuos in paludes, (nonnulli Meroitarum in flumen Nilum) projecisse piscibus escam futuros, autor est *Sextus Philosophus* libr. III. Alii ex eâdem gente circumfuso viro intra penetralia domi servabant. *Æthiopes exanima corpora vel in flumen dejiciunt vel vitro operta, ita ut integra spectentur, & posteris spectaculo sint, asservant*, ait *Alexand. ab Alexandro* Gen. Dier. lib. III. c. 2. Lothophagos ex ultimâ dicunt barbarie suos in mare defunctos abjicere, inquit *Kornmannus*, de miracul. Mortuorum part. VII. cap. I. Hyperborei, qui in extimo Orbis tractu, in littore Septentrionalis Oceani, ultra Aquilonem (unde & nomen eis à Græcis quæsitum,) fuerunt, si fuisse credimus,

vitæ

vitæ saturi semetipsos ex quâdam abruptâ rupe in mare dedêre præcipites, voluntario interitu obeundi tarditatem castigantes, si *Plinio* fides, id affirmanti lib. IV. cap. 12. Troglodytas quosdam ferunt adducti in collem defuncti colla laqueis ex paliuro contextis cruribus alligare, saxisque non sine risu petere ac obruere, quousque corporis faciem occultent: impositio dehinc capreæ cornu omninò hilares discedere. Videantur *Strabo* lib. XVI. & *Photius* in Bibliothecâ. *Colchi mortuos suos in pellibus sepeliunt & insutos ex arboribus suspendunt*, ut tradit *Ælianus* lib. IV. Var. histor. cap. I. Tibareni præcipitant senes, vel ut ait *Hieronymus*, suspendunt in patibulo. Sogdiani interficiunt parentes, more, ab Alexandro sublato, interficiunt & Tribalii, fustibus Sardi, tanquam eos, qui otiosè degant, inquit *Alexander Sardus* de Moribus & Ritibus Gent. Lib. I. cap. 23. pag. 69. De principum funeribus & sepulturis apud Septentrionales populos, refert *Olaus Magnus* Archiepiscopus Upsalensis lib. XVI. Histor. cap. 37. *Morem antiquorum fuisse, cadavera principum in frondosis arboribus, præsertim quercinis, tanquam sacris locis, numinibus consecratis, suspendere.* Verùm hanc Olai Magni narrationem in dubium vocat *Olaus Wormius* Mon. Dan. lib. I. cap. VI. in fine. Incolæ regionis האולם, quam *Zeilan* vulgò vocant, notante *Ariâ Montano* & *L'Empereur* in notis ad Itiner. *Benj. Tud.* p. 214. qui ut in eodem traditur itinerario pag. 107. mortuos suos non sepeliunt, sed variis aromatibus condiunt, ac in scamnis secundùm distinctas familias sepositos sindonibus obtegunt, ut exsiccatâ carne & ossibus, hominibus vivis similes videantur, adeò ut hîc illorum singuli suos parentes, totamque familiam multis retrò annis dignoscant. Simile quid de Ægyptiis refert *Diod. Siculus* lib. I. c. 8. Cremare exsangves reliquias, antiquissimum institutum Græcorum fuit & Troicis temporibus apud illos usitatissimum. Mos ille etiam ad Romanos pervenit, unde *Tacitus* lib. XVI, Annal. de Poppæâ; *Corpus non igne abolitum, ut Romanus mos. Sixtinus Amama* in Antibarbaro Biblico Lib. IV. p. 736. ad Jerem. cap. XXXIV. v. 5. inquit, *Apud Romanos & Græcos frequentata fuit cadaverum crematio. Consuetudinem illam istos ab his, hos ab Hercule accepisse Vetus in Homerum Scholiastes ad Iliados A. prodidit.* Simul tamen in usu fuit Humatio apud Græcos pariter &

Romanos, ut I. capite probatum dedi. Hinc *Kirchmannus* inquit lib. I. de Fun. Rom. cap. I. *Ex dictis igitur liquet & Combustionis & Humationis morem apud Græcos obtinuisse, nec introducto uno exolevisse alterum, sed remansisse utrumque, aliis hunc, aliis istum usurpantibus, pro cujusq; arbitrio, opinor, & voluntate.* Romanos autem ad exemplum Græcorum & humasse & combusisisse mortuos, sequenti docet capite. Universis etiam Celtis per Illyricum, Germaniam, Gallias, Hispaniam, Britannicasque insulas communis fuit hæc Νεκροκαυσία, ut docet *Philipp. Cluverius* German. Antiq. lib. I. cap. LIII. Orientales verò populi non comburebant cadavera. Non Hebræi, ut supra cap. VII. ostendi. Non Persæ; Hi enim ignem DEUM esse opinabantur, atque ideò cadaver hominis DEO consumendum objicere nefas putabant. Non Ægyptii; His namque persvasum erat, ignem esse animatam beluam, arreptaque quævis devorare atque consumere, ubi verò expleta & saturata sit, simul cum ipsâ re devoratâ emori. Utrumque refert *Herodotus* lib. III. p. m. 226. Cæterum postquam Christiana religio per Orbem obtinuit, ritus ille gentilis cremandi mortuos est sublatus. Diserte etiam scribit *Macrobius*, qui sub Theodosio juniore vixit, morem illum suo tempore planè exolevisse, libr. VII. Saturnal. cap. 7. Antoninum Cæsarem planè sustulisse humanorum corporum combustionem, dicit *Christ. Besoldus* Consider. Politic. Vitæ & Mortis cap. I. *Hieron. Magius* in Æm. Prob. Annot. in Alcibiadem. Verùm id neque fictum, neque scriptum, neque pictum usquam se meminisse legere, dicit *Kirchmannus* lib. I. cap. II. Illud extra dubium est, invalescente Christianismo Νεκροκαυσίαν exolevisse. *Nusquam cremandorum cadaverum in jure nostro mentio fit*, inquit *Finckelthaus* Disp. de Jure Sepult. thes. XXVII. *siquidem Ulpiani & aliorum J. C. ejus ætatis seculo jam usus urendi corpora desiit, & præsertim Justiniani & Compilatorum Juris, qui jam receperant fidem Catholicam.* Et Græci quoque barbari & crudelis istius moris tandem pertæsi, sepulturam prælauêre. Vide *Meursium* in tractatu de Funere. Sed varia apud diversas gentes abolendi corpora defunctorum servata discrimina, cultissimè paucis inclusit versibus *Silius Italicus libr. XIII. Punicor.* quos potiùs apud ipsum lege, si vacas. Confer & de his plura cognoscere cupiens *Alexandrum ab Alexandro* libr. III. Gen. dier. cap. II. *Kirchmannum* in Append. ad libr. de F. R. cap. II. *Kornmannum* de Miraculis Mortuorum parte VIII. cap. III. IV. seqq.

CAPUT XVI. ET ULTIMUM.

Quinam in funeribus moderationem adhibuerint?

MEdium tenuêre, qui certâ quâdam ratione esse curam sepulturæ habendam, honestèque, sine luxu tamen & superstitione recondenda defunctorum corpora statuerunt. Inter Gentiles, Veteres Germaniæ, communis patriæ, populi, ut animositate cæteris nationibus superiores, ita in moderatione circa funera nulli fuêre secundi. Sic enim *Tacitus*, explicatis universis & singulis morum Germanorum partibus, tandem concludit; *Funerum nulla ambitio, id solùm observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur, struem rogi, nec vestibus nec odoribus cumulant. Sua cuiq; arma, quorundam ignis & equus adjicitur: Sepulcrum cespes erigit. Monumentorum arduum & operosum honorem, ut gravem defunctis, aspernantur.* Priorum verborum hæc est sententia, ut mentem Historici explanat *Phil. Cluverius* Germ. antiquit. lib. I. cap. LIII. seu ultimo: Omnium pariter mortuorum apud Germanos corpora fuisse cremata, sed sine ambitione ac pompâ, vulgaribus lignis, clarorum tantùm virorum corpora certis combusta lignis, id est, quæsitis atque delectis. Germanorum in funeribus modestiam Indi quoque observarunt. *Selinus* de iis cap. LV. *Nullus funerum apparatus.* Et *Strabo* libr. quinto decimo λιταὶ δὲ καὶ αἱ ταφαὶ, καὶ μικρὰ χώματα, *in tumulis & sepulturis perparci sunt, in cultu corporis contrà nimii.* Cyrus Rex, qui Persis Imperium constituit, lautum ac sumptuosum funus, monumentumque conspicuum contempsit, humari tamen & sepeliri voluit, apud sapientissimum *Xenophontem* libr. III. Cyropæd. quando ita ad suos; *Mei pueri, cum decessero, nolite neq; in auro, neq; in argento, neq; in alio aliquo lapide collocare corpus meum, sed illud terræ reddite quamprimùm.* Atque hoc

nomine præcipuè laudatur Saladinus, magnus ille Orientis Monarcha, qui noluit opulentiam suam ostentare vermibus, sed morti vicinus, condito testamento, omnem funeris pompam abdicavit, jussitque tantùm in lancea præferri lineæ interulæ lacerum fragmentum, (juxta alios, atri coloris obsoletam tunicam) præcinente quodam ad populum hujus sententiæ epiphonema:

Floruit in toto qui Rex Oriente superbus,
Hunc nisi panniculum, possidet ecce nihil.

Vel ut alii referunt;

Vixi divitiis, regno, tumidusque trophæis:
Sed pannum heu! nigrum, nil nisi morte tuli.

Maximilianus I. Imperator Austriacus triennio ante mortem capulum funebrem è querno ligno, arcæ viatoriæ inclusum, circumferri secum jussit: cavitque testamento, ut exanime corpus suum, rudi linteo involutum sine ullâ exenteratione, illi imponeretur, naribus, ore, auribusq; vivâ calce, (En! aromata, quibus condiri voluit) oppletis. Germana simplicitas: Ein Tuch ins Grab / damit schabab. Neque enim in aream descendit mortuus, ubi festivitates & choreas ducet, sed ubi à vermibus devorabitur. Quæ item insania, miseriam humanam, cujus per mortem nostrorum admonemur, pomposis vestibus velle obtegere, luctumque convertere in luxum? Sic namque ducenda sunt funera, ut dolor esse funeribus, non pompa exequiarum, nec ostentatio videatur. *Euripides* mihi in mente, in Polydor: *Mentes hominum insaniunt, cum sumptus inutiles pro mortuis expendunt. Menander* in Perinthia; *Nunquam æmulatus sum cadaver sumptuosum. Nam spatii non amplius occupat, quàm valdè pauper.* Scitè *Plinius* in Epistolis contra nimiam sepulcralium monumentorum curam; *Impensa monumentorum supervacanea est, memoria nostra durabit, si vitam meriti fuerimus.* Superfluos honores ipse rejicit *Horatius* lib. II. Od. ult. in suo futuro funere:

Absint inani funere næniæ,
Luctusq; turpes & querimoniæ,
Compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte supervacuos honores,

Divinus *Plato* magnis impendiis sepulcra fieri in Republ. suâ non concedit, cujus sententiam ita retulit in extremo II. de Legib. *Cicero; Extrui vetat sepulcrum altius, quàm quod quinque homines, quinq; diebus absolverint, nec è lapide excitari plus, nec*

plus, nec imponi, quàm quod capiat laudem mortui, incisam quatuor heroicis versibus, quos longos appellat Ennius. Apud Judæos quoque prohibitam fuisse sumptuositatem, præsertim circa indumenta sepulcralia, supra, cap. V. ex *Maimonide* audivimus. Detestabantur Christiani Doctores Veteres barbaricum atque adeò Cynicum illum abjiciendi cadavera humana morem, suosque edocebant, honestè esse recondenda fidelium defunctorum corpora. *Justum est, par est*, inquit *Cyrillus* libr. X. contr. Julian. *omnes eò reponi, unde corpus hoc animi pondus hominis architectus desumpserat: Defunctorum interim reliquias viderit quispiam apud nos non nudas & negligenter in terram projectas, sed benè compositas. Occultatæ namq; sunt quodammodo in sinu matris in profundis terræ.* Præclarè *Augustinus* lib. I. de Civ. DEI. cap. 13. *Non sunt contemnenda & abjicienda corpora defunctorum maximè justorum atque fidelium, quibus tanquam organis & vasis ad omnia bona opera sanctus usus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid hujusmodi tantò charius posteris, quantò ergà parentes major affectus; nullo modo ipsa spernanda sunt corpora, quæ utiq; multò familiarius atque conjunctius, quàm quælibet indumenta gestamus, Ambros.* tom. 4. Oper. discipuli sui dicta confirmans: *Nam si viventes nudos*, ait, *lex operire præcipit; quantò magis debemus operire defunctorum corpora? Si viantes ad longionem deducere solemus, quantò magis in illam æternam domum profectos, unde jam non revertentur.* Moderatos etiam sumptus in rebus funereis pro ratione statûs, conditionis, regionis, facultatum, ac temporum admittebant. Sic enim jam dictus *S. Ambrosius* lib. I. de Abraham. cap. IX. super illud Genes. XXIII. Surrexit Abraham de officio funeris: *Docemur*, inquit, *ut non diutiùs inhæreamus mortuis*; sed quantum satis est, *officii defunctum.* Et *S. Chrysostomus* Homil. LXXXIV. postquàm valdè reprehendisset illos, qui mortuos pretiosis involvunt vestibus, atque ita sepeliunt, tandem concludit; *Non tamen sepulturam prohibeo; sed modus servetur, ut tegatur corpus, non nudum mandetur terræ.* In luxum verò immoderatum & superfluos sumptus, qui vel in corporibus vitâ functorum splendidè ornandis vel in exequiis ambitiosè apparandis à quibusdam adhibebantur, acriter invehebantur, ut ex locis cap. XIV. adductis, aliisq; manifestum est.

AUCTA-

AUCTARIUM.

Ritus funebres in noſtris Eccleſiis uſitati, ex D. Dav. Chytræi libell. de Morte & Vitâ æternâ p. 106. ſeqq.

CONvocatis nolarum ſonitu funera comitaturis, corpora defunctorum impoſita feretro, quod pullo velamine vel ſerico tectum eſt, præeuntibus ac pia carmina de morte & beneficiis Filii Dei precinentibus Scholaſticis, (alicubi & crucifixi imago nigra pompæ præfertur) & ſequentibus funus cognatis & contribulibus, aliisq; amicis & concivibus in cœmeterium vel templum, in quo doctrinam Evangelii de Chriſto, victore mortis & datore vitæ æternæ, vivi audiverunt, deducuntur. Ac in aditu templi & cœmeterii eleemoſynas pro pauperibus ſinguli funus comitantes in pelvim offerunt. Interea corpus defuncti, ſandapilæ incluſum, inter cantiones & preces mandatur terræ. Alicubi impoſita feretro ſandapila in medio templo aut choro in conſpectu populi relinquitur & poſt finem concionis primùm humatur. Sed in hac urbe (Roſtochii) Interea dum funus terrâ obruitur, & Reſponſoria funebria canuntur, fœmina etiam ex intervallo viros ſequuntur: Quibus congregatis, ſacerdos, cùm id ab amicis defuncti petitur, concionem funebrem de morte & conſolationibus, morti opponendis, pronunciat & defuncti pietatem ac virtutem celebrat. Poſtea recitatis precibus & rurſus decantato carmine pio, quo ſinguli omnibus momentis mortem imminentem expectare, & ſe ad illam verâ pœnitentiâ & fide ac vitæ emendatione præparare jubentur, ſinguli domum revertuntur.

De Ruſſorum Ritibus circa Funera ad Davidem Chytræum perſcripta. Vide deſcriptionem Orbis terræ Michaelis Neandri.

Jam de

JAm de ſepultura mortuorum quædam annotabimus. Homines rebus humanis exemtos in menſam nudos deponunt, & calidis undis per integram horam abluunt, idq; tantùm faciunt noctu. Sordibus ita abſterſis in ſella mediæ domus conſtituunt eosdem, propterèa nimirum, ut Patremfamilias etiam mortuum venerentur & metuant, quotquot iſta degunt in habitatione. Vidi ſemel atque iterum, ſed obſtupui, ſteteruntque comæ & vox faucibus hæſit. Funus tandem tertio die effertur, procedunt in ordine ſcholaſtici, hi lamentabile carmen ingeminant, cujus ſenſus eſt: Aſpicite, ô cives, hoc cadaver & vobis cavete: nam nos omnes ſic ibimus, ibitis, ibunt. Sandapilarios tres inſeqvuntur Flamines, medius thuribulo circumcirca fumat. Exiſtimant enim hunc odorem malis geniis ita contrarium eſſe, ut perinde eum fugiant ac Sanctæ crucis ſignum. Cum jam ventum eſt ad ſepulturæ locum, Orciniana iſta ſponda deponitur. Fœminæ verò, quæ ut flerent oculos erudiere ſuos, magnâ cum lamentatione ad urnam feralem, quæ hîc aperitur, accurrunt, & cadaveri oſcula figunt ita interrogantes: Cur noſtro abiiſti è conſpectu, ô chariſſime? num quid tibi & potûs inopia te occidit? Numquid conjugii infœlicis capiſtro caput ſubtrahere voluiſti? Fatere nobis, quæ res te movere potuit, ut non tantùm ſvaviſſimam thalami conſortem & liberos dulciſſimos tuos deſereres, ſed etiam deliciis pulcerrimis hujus mundi, tuis præterea fortunis & familiaribus omnibus abrenunciares: Sed hîc verum eſt illud: Surdo narratur fabula. Accedens igitur ſacrificus, plorantes fœminas arcet à feretro, Deoque manium imperat, ut ne ulla re mortuum impediat hominem, ſed liberè eum abire permittat, ad locum iſtum beatarum mentium, ad quem majores ipſius jam olim præceſerint, utq; expetitus tàm longum, nec ſatis tutum iter conficere poſſit. Quicquid in omni vita pretioſæ ſuppellectilis habuit, illud in feralem urnam inferunt, jamq; antea domi ſuæ recentibus ocreis & veſte nova abeuntem herum induerunt: Mortuo etiam cervical ſubſternunt ſiccâ terrâ refertum. Cum jam ferale murmur Flamines abſolverunt, defuncti conjunx iterum accurrens cum ejulatu & clamore maritum ad vitam revocat. Hujus gemitum ipſi ſacrifici cum cantoribus excipiunt, & ſesquihoram vociferando perdunt. Adfertur deinde argentea crux, eam capulo ſuperimponunt, & demortuum monent,

nent, ut ne suam patriam in consvetudine cœlestium animorum obliviscatur, sed pro ea apud cœlites assiduè deprecetur. Rogant etiam, ut ante omnes D. Nicolaum sibi conciliet, hunc namq; DEUM esse tutelarem omnium Russorum. Tandem cadaver in fossam demittitur: Flamen verò sicci pulveris tantum urnæ superinjicit, quantum manu tenere potest. Cæteri deinde mortuum sepeliunt. Atq; ita piacularia sacra suum sortiuntur finem.

Eodem die cœnam satis opiparè & apparatè instruunt, ad hanc Christiani (ita mendicos appellant) vocantur, ut nimirum tanquam otiosi pro mortuo Deos inclament. Flamines item & omnes consanguinitate propinquos invitant. Cumq; & mihi hunc haberent honorem, lubenter Ecastor eos adii, ea potissimum de causâ, ut mores eorum rectiùs contemplari & observare possem.

Hospites osculo blandissimè excipiunt, & quemque, ut dignior est, ad mensam collocant. Sed hîc tibi illud ad mentem revoces velim: Russos omnes S. Nicolaum tanquam Deum adorare, ejusque imaginem in domibus omnium videri. Accumbentibus convivis ardentem statim adferunt candelam, eamq; Nicolao consecrant, deprecantes sedulò pro salute & beatitudine amici demortui. Postea in scutella argentea triticum cum superinfuso melicrato apponunt. Singuli ligulam sumentes, manibus defuncti rerum abundantiam & nepotibus supellectilem copiosam uno optant ore. Mox calix vino adusto plenus obambulat, & hunc liquorem non aliter potant, quàm vaccæ algentes undas, ut in proverbio dicitur. Neque tamen hoc ipsorum factum certa ratione caret: vix enim illos ob ciborum cruditatem vivere posse arbitror, si tam forti potu stomachi frigiditatem non propulsarent. Ferculis demum appositis, senior inter Flamines iterum inter pingvia thura adolet, & Lemures ejicit foràs, postea scripto crucis signo cibo benedicit. Peregrinis hominibus Elephantem honoris gratia præbibunt, illosq; si alicujus sunt dignationis & præeminentiæ, muneribus afficiunt liberaliter. Dumq; omnes pro salute sui Regis, pro beatitudine amici demortui, pro felicitate adfinium & cognatorum plenis cantharis bibunt: fit ferè, ut vix duo vel tres istis ab exequiis sobrii domum discedant. Eleemosynas illi, qui lautioris fortunæ sunt, die Veneris distribuunt. Sed exiguã tantùm gregarii panis particulam.

Conra-

Conradus Lagus Dantzinger, qui Legatus ad Russos fuit missus, retulit, teste Wolffio Memorab. Centuria XVI. Anno 1580. pag. 936.

Episcopos Russiæ ex singulari Privilegio Papæ Epistolam hanc unicuiq;, sed pecunias illam redimenti communicare solere, quam deinde velut commeatum quendam in sepulchrum mortuo apponunt, ut si quando defunctus ante portas cœlorum veniat, Petrus eo commeatu viso sine morâ illum intromittat: Forma Epistolæ talis est; Makaria Dei gratiâ Archiepiscopus Kiofæ & Halitz & in tota Russia Domino & amico nostro S. Petro, Dei omnipotentis portitori &c. Nos significamus & mandamus tibi, ut postquam hoc vel illo tempore decesserit Princeps vel N. N. minister Dei, tu in hoc ipso momento visis his literis, abjecta omni cunctatione, nulla factâ mora, rectà in regnum Dei ipsum intromittas, nam nos eum ab omnibus suis peccatis absolvimus, & propterea ei hoc nostrum Christianum testimonium absolutionis plenæ & remissionis exactæ concessimus, ut ea exequi scires &c. Confer Olearium in der Beschreibung der Muscowitischen und Persischen Reise/Libr. III. capit. XXXI. Von bestätigung der Leichen bey den Russen.

De Religione & Sacrificiis Veterum Borussorum Epistola Johan. Meleteti ad Georgium Sabinum.

IN funeribus hic servatur ritus à rusticanis. Defunctorum cadavera vestibus & calceis induuntur, & erecta locantur super sellam, cui assidentes illorum propinqui, perpotant ac helluantur: Epotâ cervisiâ, fit lamentatio funebris, quæ in lingva Ruthenica sic sonat: Ha lele lele, y proez tus mene umarl? yza tymie mielszto yestu albo procz ty umarl? Halele, lele yza tyniemie Krasſ ye mlodzite y proez ty umarl? id est, heu, heu mihi! quare mortuus es? Num tibi deerat esca aut potus? quare ergo mortuus es? Heu heu mihi! Annon habuisti formosam conjugem? quare E. mortuus es? &c. Hoc modo lamentantes enumerant ordine omnia externa illius bona, cujus mortem deplorant: nempe liberos, oves, boves, equos, anseres, gallinas &c. Ad quæ singula respondentes occinunt hanc næniam; Cur E. mortuus es, qui hæc habebas?

Post lamentationem dantur cadaveri

daveri munuſcula, nempe mulieri fila cum acu, Viro linteolum, idque ejus collo implicatur. Cum ad ſepulturam effertur cadaver, plerique in equis funus proſequuntur, & currum obequitant, quo cadaver vehitur: Eductisque gladiis verberant auras, vociferantes: Gey geythe begaythe begaythe beckelle, i. e. aufugite vos Dæmones in infernum. Qui funus mortuo faciunt, nummos projiciunt in ſepulcrum, tanquam viatico mortuum proſequentes. Collocant quoque panem & lagenam cereviſiæ plenam ad caput cadaveris in ſepulchrum illati, ne anima vel ſitiat vel eſuriat. Uxor mane & veſperi, oriente & occidente Sole ſuper extincti conjugis ſepulchrum ſedens vel jacens lamentatur diebus triginta. Cognati verò ineunt convivia tertio die, ſexto, nono & quadrageſimo à funere. Ad quæ convivia animam defuncti invitant, precantes ante januam. In his conviviis, quibus mortuo parentant, *tacitè aſſident menſæ tanquam* muti, nec utuntur cultris. Ad menſam verò miniſtrant duæ mulieres, quæ hoſpitibus cibum apponunt, nullo etiam cultello utentes. Singuli de unoquoq; ferculo aliquid ſub menſam jaciunt, quo animam paſci credunt eisque potum infundunt. Si quid fortè de menſâ deciderit in terram, id non tollunt, ſed deſertis (ut ipſi loquuntur) animabus relinquunt, manducandum, quæ nullos habent vel cognatos vel amicos viventes, à quibus excipiantur convivio. Peracto prandio ſacrificulus ſurgit de menſa, ac ſcopis domum purgat: animasq; mortuorum cum pulvere ejicit, tanquam pulices, atque his precatur verbis, ut è domo recedant, JElii pilii duſficæ, nuvven, nuvven: hoc eſt, ediſtis ac bibiſtis, animæ dilectæ, ite foràs, ite foràs. Poſt hæc incipiunt convivæ inter ſe colloqui & certare poculis. Mulieres viris præbibunt & viri viciſſim mulieribus ſeque mutuò oſculantur.

De hac oblatione ciborum ſuper tumulos defunctorum meminit etiam Auguſtinus ſermone 15. de ſanctis, cujus verba hæc ſunt: Miror, cur apud quosdam infideles hodie tàm pernicioſus error increvit, ut ſuper tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quaſi egreſſæ de corporibus animæ *requirant cibos. Epulas enim* & refectiones caro tantùm requirit, Spiritus autem & animæ iis non indigent. Parare aliquis ſuis charis dicit, quod ipſe devorat, quod præſtat ventri, imputat pietati. &c. Hactenus Auguſtinus.

Ritus

Ritus circa funera Servianorum ex Busbequii Epiſtola prima legationis Turcicæ pag. 34. Edit. Lugd. 1633.

TRansgreſſi fluvium ab incolis Moravam dictum, devertimus in pagum Servianorum Iagodnam: ubi ejus gentis ritus funebres vidimus multum à noſtris abhorrentes. Erat cadaver in templo poſitum detecta facie: juxta erant appoſita edulia, panis & caro, & vini cantharus: adſtabant conjux, & filia melioribus ornata veſtibus, filiæ galerus erat ex plumis pavonis. Supremum munus, quo maritum jam conclamatum uxor donavit, pileolum fuit purpureum, cujusmodi virgines nobiles illic geſtare ſolent. Inde leſſum audivimus & næniam lamentabilesq; voces, quibus mortuum percunctabantur; Quid de eo tantùm meruiſſent, quæ res, quod obſequiũ, quod ſolatium ei defuiſſet? cur ſe ſolas & miſeras relinqueret? & hujus generis alia. Sacerdotes funeri præerant religionis Græcæ. Erant in cœmeterio erectæ in palos (aut longurios) pleræque cervorum & hinnulorum, & ſimilium ferarum de ligno dedolatæ effigies: cumq; causâ quæreremus, ajebant, maritos vel patres eo monumento voluiſſe teſtari conjugum aut filiarum in obeundis domeſticis officiis celeritatem & diligentiam: erant item ad plura ſepulchra appenſæ comæ, quas mulieres aut puellæ in funere neceſſariorum luctus indicium poſuerant.

Privatos magnatesque ſepeliendi mos apud Turcas ex Commentario Rer. Turcicarum Joh. Baptiſtæ Montalbani Bonon. pag. 49.

FIliorum, niſi ob proprias virtutes, nulla habetur ratio; nemo tam conſpicuum ſortitus eſt patrem, quin ſtatim, ni ſapiat, viliſſimus evadat; & contra. Unde majorum funera poſteri haut ambitioſè curant; ſine facibus, ſine alio apparatu efferunt: amici & propinqui, ſi in urbe, pedes, ſi extra urbem, equis inſidentes, humandum comitantur Plebs humilis, Hebræorum in morem ſepelitur, lapide ad caput & ad pedes erecto, maſculi per lapidem capiti appoſitum dignoſcuntur, quod in eo capitis integumentum inſculptum; fæminis nullum diſcrimen. Splendida nobilioribus eriguntur ſepulchra, aliquibusque contra injuriam temporum ſuperinjicitur fornix, velut ſacellum, columnis innixa; & ad pedes ac caput ſepulchri candelabra, lampadesque ardentes. Imperatorum filii juxta S. Sophiæ templum profano

cultui vindicatum ſepeliuntur; tam naturali, quàm violenta morte defuncti. Et Imperatorum in templis à ſe extructis, eorumque ad ſepulchra, faces aut lampades ſuper gemmata candelabra perpetuò ferè ardent. Lugubris, niſi ob Imperatoris mortem, habitus nullus. Dum enim funeris pompa ducitur, capitis involucrum pulla ex transverſo tæniâ circumdant; quam eo ſepulto confeſtim detrahunt. Mulieres viduæ nullo item habitu diſcernuntur.

De Turcis refert quoque Georgieviz de moribus Turc. pag. 36. Ubi quis moritur de Muſulmannis maſculus, maſculi funus curant; ſi fæmina, fæminæ. Abluunt cadaver, ac linteis nitidiſſimis induunt; poſtea efferunt extra urbem in locum aliquem; nefas enim eſt, in templis ſepelire. Præcedunt ceroferarii cum candelis monachi eorum, ſubſequuntur ſacerdotes cantillantes interim, donec ad ſepulturæ locum perveniant, &c.

De more funerandi in Civitate Sachion Orientali ex Paulo Veneto lib. I. cap. 45. refert Kornmannus de Mirac. Mort. part. VIII. cap. V.

INcolæ hujus urbis in parentatione his utuntur ceremoniis. Curant proximi quique, ut corpora exanimata comburantur, in hunc modum. Primo interrogant Aſtrologos, quando mortuus in ignem ſit conjiciendus, dum illi quærunt, quo menſe, die & hora is, qui in fata conceſſit, ſit natus: conſtellationeque perſpecta, indicant diem, quando ſit comburendus. Alii verò mortuum corpus aliquot diebus reſervant, aliquando ſeptem diebus, quandoque per menſem, non tanquam per ſex menſes, domi capſam illi parantes, & tali ingenio lateri compaginantes, ut nullus fœtor ex ea exhalare poſſit, corpus etiam ipſum aromatibus condiunt, & capſam pulcrè depictam panno pretioſo operiunt, & ſingulis diebus cadaver domi tenetur, hora prandii menſa juxta capſam præparatur, vino & cibo per integræ horæ ſpacium deſuper poſitis, putantes defuncti animam de appoſitis manducare. Et quando defuncti corpus eſt efferendũ, aſtrologi conſuluntur, qua ex porta id ſit faciendũ. Nam ſi porta aliqua, dum conſtrueretur, caruit bonis fatis, illam indicant fugiendam, atque incongruam, per quam mortuorum cadavera efferantur, indicantq; aliam, quæ huic rei accommoda ſit, aut novam jubent in pariete fieri aperturam. Dum verò funus per civitatem portatur, lignea tuguria in via conſtruuntur, atque ſericis & aureis pannis cooperiuntur, & cum defuncti cadaver ante ea portatur, effundunt in terram vina & delicata cibaria, putantes defunctum in alia vita his recreari rebus. Antecedunt etiam funus ipſum varia inſtrumenta Muſices, in quorum concentu maxima eſt jucunditas, & cum ad locum combuſtionis ventum fuit, ſcribunt & pingunt ſuper chartas imagines virorum, & mulierum, itemque multorum denariorum, quæ omnia ſimul cum cadavere comburuntur: Ajunt enim defunctum illum tot ſervos, & ancillas, animalia & denarios, in alra vita habiturum, quot cum eo imagines fuerint combuſtæ, victurusque ſit perpetuò in divitiis illis & honore. Hanc ſuperſtitionem ſervat fere ubique cæcitas paganorum, in partibus orientis, cum cadavera defunctorum comburunt. *M. Paulus Venet. lib. 1. c. 45. de civitate Sachion & combuſtione mortuorum.*

De Tartarorum more Kornmannus ibid. cap. VI. ex eodem Paulo Veneto Lib. 5. cap. 58.

SI Tartari alicujus moriatur filius, qui nondum duxit uxorem, & item ulterius moriatur filia innupta, conveniunt utriusque defuncti parentes, & inter defunctos connubium faciunt, conſcriptisque contractus illius literis, juvenem & puellam in charta pingunt, & hanc cum pecunia contributa atque utenſilibus & ſupellectili Vulcano devovent, credentes, defunctos in alia vita matrimonialiter conjunctos. Faciunt etiam pro hac re ſolemnes nuptias, & de præparatis cibis, nonnihil hinc & illinc diffundunt, ut ſponſus & ſponſa quoq; veſcatur. Quo facto parentes & conſangvinei defunctorum talium putant, ſe affinitatis vinculo conjunctos, ac ſi nuptiæ illæ, ſponſis adhuc viventibus, fuiſſent celebratæ.

CHRISTO JESU,
Qui noſtra ſepulcra contactu ſanctiſſimæ ſuæ
Carnis ſanctificavit,
GLORIA SIT ET HONOR IN SECULA.

INDEX.

INDEX CAPITUM

I. Sepultura quando cœperit, unde orta & quis ejus finis? pag. 1.
II. Sepulturam esse juris Gentium, cujus etiam in bellis accurata ratio habita pag. 11.
III. Sepulturâ vel omni vel honestâ qui prohibiti? pag. 16.
IV. Sepultura carentia pro ignominia pœnaq; gravi semper habita & pro graviori exhumatio pag. 29.
V. De Funeris antecedentibus pag. 34.
VI. De ipsâ Νεκροφορία, eamq; comitantibus pag. 53.
VII. De ipsâ Funeratione pag. 77.
VIII. De Loco Sepulturæ pag. 86.
IX. De Sepulcri Etymol. συωνυμία & συνωνυμία pag. 101.
X. De Sepulcrorum generibus, variâ structurâ ac ornamentis pag. 110.
XI. De sepulchris aliquot insignibus pag. 120.
XII. De Sepulchrorum Religione pag. 133.
XIII. De Funerationem subsequi consvetis pag. 138.
XIV. De Excessu circa sepulturam, cùm ratione sumptuum, tùm ratione subjecti sepeliendi pag. 159.
XV. De Neglectu sepulturæ, abolendique cadavera variâ ratione apud Gentes pag. 166.
XVI. & Ult. De illis, qui in funeribus moderationem adhibuerunt pag. 173.

1800,